
AETII CLETI
MEDICI SIGNINI
DILVCIDATIO
In Aphor. 22. Primæ sect.

Pro defensione Interpretationis Marsilij Cagnati.

Nuper edita per Philandrum Colutium Veliternum, Medicinæ in Romano Gymnasio Professorem




PERILLVSTRI
BERNARDINO
CASTELLANO
GREGORII XV.
PONT. OPT. MAX.
A Secretis Medico.




ROMAE, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. M. DC. XXI.

SVPERIORVM PERMISSV.



Imprimatur si videbitur Reuerendissimo P. M. Sacri Palatij Apostolici.

P. Episcopus de Curte Vicesg.



E*Go Ludouicus Ceſcherinius Medicus, Philoſophus Romanus, ex commiſſione Reuerendiſsimi P. F. Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Magiſtri, legi ea diligentia qua potui, Opuſculum Aetij Cleti Signini Medici, atque Philoſophi. Dilucidatio ad Aphoriſmum vigeſimum ſecundum ſectionis primæ, & nihil in eo inueni, quod Sanctæ Ro-*


 2 *manæ*

manæ Ecclesiæ repugnet, neque quod possit pias aures offendere, neque quod aliquid contra bonos mores contineat.

Ludouicus Ceſcherinius Medicus, Philoſophus manu propria.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Donatus Rom. Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. F. Hiacynthi Petronij Sacri Pal. Apoſt. Magiſtri, Ord. Præd.




PERILLVSTRI D. D.

BERNARDINO
CASTELLANO
GREGORII XV.
PONT. OPT. MAX.
Medico à Secretis dignissimo.



PHILANDER COLVTIVS Veliternus, Medicus Romanus. F.



Vm ab aliquibus forsan quædã mei præceptoris Marsilij Cagnati Medici doctissimi interpretatio,

tio, & ſententia in aphoriſmum 22. primæ ſectionis, qui incipit matura Medicari, & quæ ſequuntur, perperam intelligeretur decreui illam in lucem prodire, aliquo addito ſtudio, & labore. Et cum experientia compertum ſit, aliquos adhuc propriam ſententiam non attingere, quamuis veriſsimam, Aetius Cletus, Io. Manelphus Medici oculatiſsimi mei familiares, & pariter Cagnati auditores, in defenſionem pręceptoris, interpretationis Marſilij, veritatem clarius, & validius

pate-

patefacere decreuerunt, in delucidationẽ narrati operis à me editi, idque omni Chriſtiana modeſtia, & ducti tãtùm veritatis ſtimulo, ac Publica vtilitate. Cũ verò eius interpretationis Iudex aclamatus fuerit, Victorius Merullius tunc viuentis Pontificis à ſecretis Medicus, & in eamdem materiam iterum ſcriptum ſit, iure quaſi hæreditario tibi Caſtellanè labor debetur, cum auctor id expoſtulet, & quia vere hoc deiudicare potes, clara enim tibi erant Marſilij doctrina, ſa-

pientia,


AETII CLETI SIGNINI
Medici, atque Philoſophi,
Dilucidatio ad Aphoriſmum 22. ſe-ctionis primæ.



ARCHIATRIS
ROMANÆ ACADEMIÆ CLARISSIMIS
AETIVS CLETVS F.

D*ISPVTATIO omnis, viri doctiſsimi, quam eruditiſsimis viris (mea ſententia) committenda eſt, vt ij, qua valent eruditione, litem componere, quodque in ea arduum eſt definire queant. Hoc ipſe conſilium ſequutus maſtygen editu-*

rus ad Aphor. 22. sect. 1. vobis committere, decreui, sperans omnino meas, vel potius Marsillij Cagnati praeceptoris mei, & nunquam satis laudati viri partes, à quo illa emanauit interpraetatio; in patrocinium à vobis susceptum iri. Vestra ergo humanitate confisus, & munitus eruditione typis dare illam non dubito, quam, obsecro, patrocinio vestro optimo fulcite, & valete. Signiae sexto nonas Iulij 1620.



Apho-

Aphoriſmorum lib. 1. aphoriſmus 22.

Concocta medicare, & mouere, non cruda, neque in principijs, niſi turgeant: plurima vero non turgent.

Numero primo.

APhoriſmi enarratio exigit illam priore loco quæſtionem diluere, etſi ſatis vulgarem, quæ cõtinet, an in morborum principijs medicamentum purgans propinandum ſit. Hac etenim examinata quæſtione, facilior omnis ad Aphoriſmi intellectum patet aditus. Hipp. primus, vtque aſſolet, ſatis appoſite, quæſtioni ſatisfecit 2. Aphor. 29. cum ſanciuit, incipientibus mor-

bis si quid tibi videtur mouendum moue, qua oratione morbos omnes complexus est, & promiscue de omnibus est locutus: vt doceret, initijs morborum licere medico, purgantia medicamenta dare, quod ipsum testimonio non ignobilium medicorum probare non est difficile. Gal. enim 2. de comp. med. sec. locos cap. 3. in hæmycraniæ curatione, illud affirmauit, vt, qui illam curare aggreditur, quali purgatione, aut venæ sectione, opus habeat, consideret prius oportere. & lib. 10. operis eiusdem, in doloribus iuncturarum, à principio euacuare, & vena secta, & purganti medicamento, non dubitauit. lib. etiam 14. Methodi cap. 8. linguæ tumorem curaturus, pillulas exhibendo, est curationem aggressus: igitur cap. 2. lib. de totius morb. temp. principium ad præsidia ferenda mirum in modum conducere, scriptum reliquit: & principium illud esse, quo sanguinem detrahere, atque purgatione vti possimus. Alex. etiam cap. 10. lib. 1. de cephaleæ curatione, verba facere, exorsus: quod superat in principio, commode euacuandum docuit: idque faciendum, vel purgatione, vel sanguinis missione. sic Paul. cap. 14. lib. 3. melancholicos, per initia epithymo, & aloe purgandos esse, memoriæ

moriæ mandauit. Rasis denique lib. 9. ad Almansorem, quibus in locis dat præcepta, quæ obseruanda sunt, in cephaleæ curatione à bile, vel etiam à pituita, prouenientis, aluum à principio pillulis subducit. quam eandem seruat medendi methodum in paralysis curatione, & torturæ oris. quibus liquet exemplis, etiam rei medicæ proceres, initijs morborum medicamenta purgantia dare, minime dubitasse. at clariora, multo sunt Hipp. testimonia; siquidem 4. acut. quibus principio vrinæ nebulosæ, & crassæ existunt, hos, scriptum reliquit, annuentibus ceteris, purgare conuenit. ex tex. 64. lib. eiusdem, in febribus in quibus tubercula in cruribus oriuntur, scamonio ante quintam diem purgãdum voluit. pari ratione lib. de affect. in tertiana febre, quarta die pharmacũ dandum proponit. demum ex lib. de affect. internis non ignobili testimonio id ipsum comprobatur. Igitur in morbo, in quo pulmonis vena conuellitur, hæc scripta reliquit. Hunc, si à principio acceperis, infra subpurgato scamonio succo. & in medela quarti renalis morbi, tam apposite de purgatione verba fecit, vt omnino illam in principio efficiendam, decreuerit. eius verba hæc traduntur hunc, vbi sic

habuerit, à principio oportet purgare, & ante purgationem fomentum adhibere. quibus ex omnibus decernendum videtur, morbis inchoantibus purgantia medicamenta propinanda esse.

Num. 2. Sed est illud vnum non ignorandum, præallegato aphor. 29. sect. 2. non absolutè pronunciatum ab Hippoc. initijs morborum mouendum esse: sed mouendum, si videtur. quo dicendi genere medico locum dedisse visus est, vt consilium capiat, an mouendum sit. Medicum decet eruditum, & prudentem, non ex arbitrio, sed ex arte mederi: quæ initijs morborum mouendum quidem decernit, & venæ sectione, & purgatione: sed in acutis purgatione rarius, ex decreto aphor. 24. sect. 1. vbi notandum reperitur in acutis affectionibus in principijs quidem sed raro, & cum præmeditatione, purgantibus vtendum medicamentis. rarò quidem hæc vsu veniunt, eam ob causam quam indicauit Gal. quia rarò turget; quod est ab illo pronunciatum vt indicaret, cum turget, locum dari purgationi in acutis morbis, alijs vero nominibus respuendam.

Num. 3. Exemplum capiamus ab acutis thoracis affectionibus, ab inflammatione ori-

ginem

ginem trahentibus; cuiuſmodi eſt pleuritis, & peripneomonia; quibus aduerſiſsima eſſe purgantia medicamenta, vel hinc colligitur; quoniam ſatis vulgare eſt, & ſcitum, ſputo ſalubriter illas repurgari affectiones, quod citata aluo retardari in confeſſo eſt. quandoquidem duæ euacuationes interſe contrariæ, cum fiunt & è diuerſis regionibus, altera alteram impediat eſt neceſſe. hinc Actuar. lib. & cap. 4. method. de reſpirandi difficultate verba faciens; huic ſoli, inquit, ex omnibus pulmonis, thoraciſque affectionibus, medicamentis aluum ſoluentibus ſuccurrimus: quippe reliqui omnes, ſi ita arte, aut natura tractentur, in deterius prolabuntur. ſed eſt cõcinne dictum ab Hipp. lib. 2. acut. tex. 10. & 11. vt quo tempore lateris dolor ſui ſignificationem præbet, ad clauiculam, ſecta vena, detrahatur ſanguis: cum vero illas partes infeſtat, quę infra ſeptum ſunt, veratro nigro, aut peplio, aluus ſubducatur, eam ob cauſam; quoniam prior ſignorum conuentus, pleuritim demonſtrat: poſterior vero, affectionem à pleuritide longe diuerſam, & in hac ideo aluum epoto medicamento ſollicitandam: in pleuritide, ſanguinem detrahendum, quod eſt ab illo proditum vt decerneretur, ſaluberrimum

rimum esse quidem, in pleuritide sanguinem, incisa vena auferre, & dare medicamentum noxium depræhenditur hoc clarius ex Paul. Aegin. qui cap. 33. lib. 3. ita suo tempore observatum, scriptum reliquit, vt in quolibet lateris dolore vena secaretur, quamuis ad præcordia descenderet. (opinio enim erat quemlibet ex recensitis doloribus, pleuriticum esse) quæ, ea de causa increbuerat opinio, quoniam certa res erat apud illos, salutare esse, venam tundere in pleuritide & noxium catharticum exibere, omitto rationem afferre omniũ internarum inflammationum communem ex tex. 22. lib. 4. acut. desumptam, vbi expressis verbis noxium esse, & inutile decernitur, cum in pleuritide, & peripneumonia, tum etiam in cæteris omnibus his simillibus affectionibus, purgans medicamẽtum propinare: quoniam deductæ rationes manifestum efficiunt, in affectionibus partium thoracis non contemnendum afferre detrimentum, purgantia medicamenta dare, quo tempore non turget.

Num. 4. Ceterum, vt ad pensum redeamus, quæ ratio est, dicet studiosus, vt rarò in affectionibus acutis vsurpanda veniant purgantia medicamenta, frequentius in ceteris

non

non acutis? illa ratio est, dixerim ego, quoniam acutarum ægritudinum maxime proprium, & peculiare est præsidium, venam secare. quod tibi voluit Hippoc. 4. acut. tex. 19. cum pronunciauit. in acutis sanguinem detrahes. & Gal. consona adiecit lib. quos & quando, & 2. acut. tex. 11. vbi declarauit, venam secare ipsa purgatione, securius esse præsidium in morbis acutis; eo quod ex illa nullum periculum impendet. ex purgatione vero discrimen maximum subiri. quæ Gal. interprætatio documento est, purgantia medicamenta, citra noxam, in acutis morbis, non afferri, & ideo rarò, hoc est, dum turget, præscribenda: sanguinis vero euacuationem, secta vena tutius, & vtilius præsidium in morbis acutis. & idcirco frequentissime vsurpandam.

Num. 5. His igitur in hunc modum constitutis, cum dixit Hippoc. concocta medicaræ eruditissimo Cagnato visum est, de humoribus minime verba fecisse illum, quoniam hac recepta interprætatione, pugnantia scripsisset ijs, quæ habentur in aphorismo, in principijs morborum, si quid tibi videtur mouendũ moue: quo in loco affirmando, in principijs mouendum esse, decernitur, nondum conco-

concoctis humoribus, medicamentũ purgans propinandum: cũ ex præallegata interpretatione ad annotationes in Cagnatũ habeatur, purgans non exhibendum esse medicamentum, nisi post quã humores concocti fuerint.

Num. 6. Augetur coniectura, seu verius non contemnenda ratio desumitur, de humoribus minime locutum Hippoc. aphorismo; concocta medicare: siquidem, humores vbi concocti sunt, minime euacuandi veniunt. breuitati consulentes, omittimus Rasis afferre rationes, qui 30. contin. tract. 3. cap. 2. erudita, ac multa, disputat oratione, crudis humoribus, non concoctis deberi; euacuationem. eo præsertim cum Gal. habeamus testem. 2. aphor. 29. dicentem, cum iam natura concoxit, superfluum est euacuare. Illa quippe euacuationis facultas est, vt vtile reddat quod est concoctum; eaque de causa illud euacuandum non esse clare hoc expressit Gal. idem 11. meth. cap. 9. vbi concoctione putredinem sanari, scriptum reliquit. in quem sensum lib. art. med. cap. 89. concoctione putredinem finiri, causa remanente imputri, testatus est. Quamobrem primo acut. 18. cum febres ex humore putredine ortum duxerint, non paruam diligentiam adhibendam

hibendam esse; docuit, vt, quicquid ex ipsis concoqui possit, concoquatur, quodq. exustum est, neque amplius concoqui possit,euacuetur. Igitur tantum abest vt concoctio dirigatur ad euacuationem, quin potius è conuerso contingat; scilicet eo consilio, vt fœlicior concoctio subsequatur. hac motus ratione Gal. 3. acut. tex. 62. non antea balneis vtendum admonuit,quam euacuatum sit corpus, idque eo nomine agendum, vt hæc concoctionem adiuuet. significauit hoc ipsum expressius 2. aphor. 29. quo in loco maiora præsidia adhibenda, in morborum principijs, est interpraetatus, quæ sunt venæ sectio, & purgatio, eam solam ab causam, vt concoctiones citius eueniant. Et euacuatione enim minore reddita materia, facilius natura concoquere potest. Quibus ex omnibus concludebat Marsil. concoctioni anteponendam euacuationem, & concoctione peracta, si quid incoctum, remanserit, altera euacuatione, tollendum. p. 18.

Num. 7. Neque est cur pragmaticus virum admiretur, asserentem, concocto, remisso, aut soluto morbo, non esse purgandum. quoniam his pugnantia docuit Marsil. lib. de vrbana febres curat. cũ protulit. nec ridenda p. 20. p. 38.

euacua-

euacuatio soluto morbo facta ob timorem recidiue: nam Hippoc. admonuit fieri recidiuas, & recidiuarum signa docuit: ergo cur non sit iuste timendum quod fieri solet? cur non sit imminēti periculo, opportunis auxilijs oc-
p. 27. currendum? verum in huius aphorismi interpretatione, hoc rarius contingere notauit. & propterea verisimile non esse pręceptum, hoc, concocta medicare, traditum de his, quæ rarius accidunt, cum, sit contrarium ijs, quæ frequentius eueniunt. non ergo expedita concoctione purgationem, cum fuerit opus (quod rarius contingit) substulit Marsil. adeo vt subeat admirantis viri, demirari fœlicitatem, conscij ceterorum admirationem nō nisi eruditione multa reprobari: admirantis verò viri admirationem, oculorum lotione sola, fugari.

Num. 8. Et quamuis distinctione multa vtatur aduersarius, ad declarandum aliud esse incoctum, aliud crudum, aliud exustum: quorum disquisitionem tanquam nullius frugis, penitus omitto: illo solo non prætermisso, ex ea distintione nullo pacto concludi, quod concoctum est, illud euacuandum pharmaco. Enim vero si expedita concoctione quod exustum est, vel etiam quod concoqui non

non potuit, illud euacuandum, non inde sequitur humores concoctos euacuandos esse: cum hi toto cœlo contra distinguantur, à crudis & exustis succis. quamobrem aphor. hæc aptari interpretatio non potest, concocta medicare, & moue: hoc est, humores vel exustos, vel non concoctos medicare & moue, etenim dato & non concesso, de humoribus verba fieri, eo in aphor. tamen ipsa vocis acceptio declararet, aliud esse humores concoctos, aliud non concoctos, seu exustos. atque proinde dictum illud concocta medicare de humoribus crudis, seu exustis minime interpretandum.

Num. 9. Sunt qui confugiunt ad humorum apparatum (quanquam hunc etiam confundant cum apparatu corporis) quo arte facto, arbitrantur satisfecisse humorum concoctioni. quæ interpretatio, vt ex arbitratu pẽdet, ita Hippoc. dictis refragatur, qui nullibi indicauit, humorum apparatum, eundem esse, cum humorum cõcoctione præter quam quod hunc humorum apparatum ad purgationem efficiendam, nunquam vel optandum, aut faciendum arte, docuit Hippoc. Est quidem apud illum memoriæ mandatum 2. aphor. 9. corpora quando quis purgare

volue-

voluerit, fluida faciat, oportet: verum hic corporis apparatus est, ad purgationem efficiendam non humorum. Corpus enim efficitur fluidum non ipsi humores. delucide hoc deprahenditur ex eodem Hippoc. 7. aph. 66. scribente; corpora vbi quis purgare voluerit, fluida faciat, oportet: etsi supra, sistere aluum, si inferius humectare. His contentanea memoriæ mandauit Cor. Cel. c. 18. lib. 3. cum protulit; illud quoque perpetuum est in omnibus morbis, vbi ab inferiore parte, aliquis purgandus est, ventrem eius ante soluendum esse: vbi à superiore comprimendum. sed hac de re alibi latius. Satis esto intellexisse, non humoribus, sed corpori deberi apparatum ad purgationem efficiendam.

Num. 10. Obijciet forte studiosus. inutilis ergo est syrupporum vsus, quibus medici frequentissime vtuntur, ad præparandos humores, quo purgatio felicior, & ex arte contingat. Hoc consilio syruppos propinare, mea sententia, vanum esse dixerim: quamquam non negauerim, alijs nominibus prodesse. Enim vero quia medicata alimenta sunt, contrarias qualitates calidi, frigidi, humihi, & sicci corrigere valent; partium intemperies emendare, robur adijcere, & alia his

his ſimilia efficere. Non eſt locus in præſentia anxie diſquirere, an morbis in omnibus ſalutaris ſit ſyrupporum vſus. nouimus enim Hyer. Merc. in examine ſecundæ hiſtoriæ primi epid. in febribus acutis proríus reprobaſſe illos, eo quod ægrotantibus ſunt ingrati, & facile bileſcunt; qua eadem ratione Salius primo de morb. ſect. 3. tex. 60. illos ſuſpectos habuit in eryſipilate pulmonis: eoſdemq. reiecit Maſſaria lib. 3. pract. cap. 22. in dyſenteriæ curatione. & in colliquantibus febribus tum à ſyrupis, tum mellitis rebus abſtinendum eſſe cenſuit Foreſtus lib. 2. obſer. ſcholi: ad cap. 40. quorum ſententijs fauet Gal. 11. meth. cap. 19. quo in loco mellicratum in inflammationibus ventriculi, iecoris, & lienis obeſſe, pronunciauit: eo quod illico in bilem tranſeat, & inflammationes adauget. quibus ex auctoribus depræhenditur, non omnino tutum ſyruporum vſum in morbis omnibus, & febribus, præſertim à bile ortum ducentibus. quamquam Valleſ. lib. 3. acut. ea diſtinctione vſus eſt, vt acida ſerapia non prorſus reiecerit, ceteras vero potiones, vel ex ſaccaro, confectas, vel melle, illi ſuſpectas eſſe. Foreſto tamen alia arriſit diſtinctio, vt maxime dilutas potiones, non

con-

contempſerit; alio verò modo propinatas reiecerit. Sed,hac de re quicquid ſit; ſatis eſto, vt redeamus, qua fluxit oratio, ſyrupis humores non præparari; ad purgationem, adeo vt, corpus, ijs propinatis, fiat fluidum.

p. 12. initio. *Num.* 11. Docet etiam alia non ignobilis ratio, humorum concoctionem (quam in vigore fieri contendunt) expectandam non eſſe ad expurganda corpora. quandoquidem ne moriantur ægri mætus adeſt in omnibus morbi temporibus, vniuerſali declinatione excepta, quemadmodum Gal. teſtatus eſt 3. de criſ. cap. 6. & 9. purgatio ergò, vt proſit (dummodo morbus illam exigat) fatalem diem præcedat, opus eſt. non igitur expectandum eſt augmentum, vel ſtatus morbi; quibus in temporibus quieſcere melius eſt. in ipſo ergo principio adminiſtranda erit, quo tempore per ipſos aduerſarios, humores crudi ſunt. Sed dices, in ipſo etiam principio mors contingere poteſt, in quo pharmacum præbendo,ſi ſubſequatur interitus,pharmaco ægrum necare eſt. Fateor nonnumquam, idq. rariſsimum eſſe, de Gal. ſententia,ægrum in morbi principio diem ſuum obire poſſe: quod dum euenit, remedijs nullus eſt locus. niſi quis perſuaſum habeat, mor-

bos,

bos, qui statim à prima die, vel primis horis inuadentis morbi, interimunt, celere admodum sortiri principium, atque ad augmentum confestim properare; adeo vt, non in morbi principio, sed in augmento mors contingat. quamobrem si morbi principium patitur, medicamentum afferri propinandum est, aliàs abstinendum; sed esto, vt lubet. ægri vires, morbi naturam, morbi mores, eiusque magnitudinem cõtemplatur medicus: ex quibus extimat, an purganti pharmaco sit locus, de quo exhibendo, capto consilio, non ipsam concoctionem expectare debet, sed à principio illud dare, quo tempore ægri vires fortiores sunt, omniaque mitiora synthomata, sique mortis adsit metus, fatalem diem præcedat: vel eo denique consilio, vt exonerata natura eo onere, à quo tanquam à sarcina præmebatur, concoquat quod est concoquendum, & expellat, quod est expellendum.

Num. 12. Quamquam acquiescendum non est specioso illi pronunciatui, vt concoctiones fiant in statu morbi, eoque lapso purgandum esse. namque tunc temporis deteriores illæ contingunt. cum cessat digestio, inquit Auer. 3. coll. cap. 9. cessat tẽpus augmenti, & incipit status. & famulatur Celsus

cap. 2. lib. 3. qui increſcentis morbi, inter cetera, illud eſſe ſignum, ſcriptum reliquit, vt deterior concoctio fiat. quod ipſum de ſtatu morbi accipiendum eſt, quando non niſi decreſcente morbo, contrarias notas apparere, dixit: hoc eſt non deteriores, ſed laudatas, & expetitas fieri concoctiones: & huic contrarias toto illo tempore, quod accedit inter principium, & declinationem. conſona his protulit Hippoc. 2. aphor. 30. vbi notatum reliquit, in principio & fine omnia imbecilliora, in augmento vero omnia fortiora; qua ſententia illud ſenſit, vt declararet, toto tēporis interſtitio, quod eſt inter principium morbi, & declarationem, omnia ſynthomata fortiora eſſe, quæ, cum fortiora ſint, omnino reſpuunt tunc temporis concoctiones fieri, cum potius vt Celſ. ait, deteriores contingant. Læthales morbi hoc declarant, quorum augmentum, & ſtatus non concocotione diſtinguitur, vt Gal. eſt auctor cap. 6. lib. de totius morb. tempor. eo quod ijs in temporibus morbus non concoquitur, ſed cruditatis, & læthalia ſigna vigent. Etenim læthalium morborum, ſi concoctione, diſtinguerentur tempora, omnes in principio mori contingeret. Non enim prius laberetur il-

lud,

lud, quam concoctionis signa apparerent; quæ dum visuntur, interius suspitio omnis reijcitur. siquidem concoctiones celeritatem iudicij, certamque salutem, portendunt. Quamobrem quia omnes cum cruditatis signis pereunt, omnes in principio mori affirmandum esset. quod rationi & mediocrum testimonio refragatur, qui in ascensu morbi, illiusque vigore frequentius ægros mori decernunt: quæ tempora, eo quod in læthalibus morbis, concoctione non distinguuntur, ideo morborum tempora concoctione haud secari, est asseuerandum.

Num. 13. Quinimo, neque illud est statis apposite declaratum, in morborum principijs concoctionis signa numquam apparere: quando hæc interdum obseruata, ab auctoribus est traditum, & Gal. insinuauit lib. 3. de crysibus cap. 4. apud quem scriptum reperitur. cum primo die signum aliquod concoctionis, manifestum apparuerit reliquis etiam omnibus, periculum nullum portendentibus, tunc procul dubio sciemus quod in primo quaternario morbi solutionem subsequi sit necessarium. & de vrinis, quibus tantum fidit aduersarius, apposite expresit Hippoc. 2. pro. tex. 26. vrina, inquiens, opti-

ma eſt, ſi ſedimentum candidum fuerit, leue, & æquale per omné tempus, donec morbus iudicatus fuerit. Optima quidem eſt, quia talis vrina, vti Gal. indicauit hoc loco, cui deinceps acquieuere omnes, concoctionis eſt indicium. & diſerte in enarratione eiuſdem loci, hanc veritatem, expreſſit Trincauellius, in hunc modum ſcribens. Cum hypoſtatis candida eſt, leuis & æqualis, optima eſt; vtpote quæ exquiſitam morbi concoctionem demonſtrat. Talis igitur vrina concoctionis eſt indicium, quæ quia per omne tempus excerni poteſt, depræhenditur, etiam in morbi principio reddi poſſe ſignum concoctionis afferentem. famulantur quæ dixit Hippoc. 4. acut. 43. quibus principio vrinæ & nebuloſæ & craſſæ exiſtunt, hos, annuentibus ceteris, purgare conuenit. vbi Gal. nebuloſas vrinas, concoctionis notas eſſe, interprætatus eſt adeo, vt tales vrinæ in principijs morborum excretæ, indubitata concoctionis indicia afferant.

p. 23. *Num.* 14. Multi facienda non eſt, in contrarium allata reſponſio; quæ illud continet, hæc concoctionis ſigna, in principio prouenientia, non eſſe vera ſigna concoctionis humorum, cum potius indicent materiam morbificam

bificam non eſſe crudam, quam quòd verè dici debeat concocta.quæ interpretatio,prorſus ab arbitratu pendet. Enim vero, quantum ipſe ex auctoribus aſſequi potui, ab Hippoc. conſcripta vrina non aliud quam concoctionis ſignum eſſe pronunciatur. quod ex euentu etiam colligitur. ſecuritatem enim portendit, morbumque breuem. quæ non alio nomine illud lotium indicat,quam quòd concoctionis exquiſitæ,prębet argumentum. Colligitur etiam, vrinam, de qua Hippoc. verba fecit, concoctionis humorum ſigna dare, quoniam illam laudandam,& expetendam cenſuit,cum per omne tempus apparuerit. Verum in declinatione morbi dum talis vrina excernitur, concoctionis, humorum eſt indicium: illam eandem quæ eoſdem ſeruat caracteres, quæque eadem eſt cum illa in colore, ſubſtantia, & contentis, vbi in principio excreta fuerit, cõcoctionis indicium,fuiſſe, pronunciandum eſt. Neque alius adeſt genius, qui, quo tempore ab Hippoc. recenſitas vrina mingitur, quæ citra controuerſiam, in declinatione morbi concoctionis eſt ſignum ſecet diſtinguatque in tempora, ita vt indeclinatione morbi concoctionis ſignum præbeat alijs in temporibus materiam

non crudam. Sed hæc quis confutet, magis quam rideat. Ratum ergo eſt, lotium, de quo Hippoc. verba fecit 2. prog. conctionis pari paſſu omnibus in morbi temporibus ſignum afferre. quod quia in principio reddi poteſt, deprehenditur in morbi etiam principio, concoctionis ſigna apparere nonnunquam, quamuis hoc ratiſſimum ſit.

p. 24. *Num.* 15. Multo minus, alia, per aduerſarium promulgata, recipienda eſt ſolutio. vrinam ſcilicet, hanc, in qua reſidet album, leue, & æquale per omne tempus donec, morbus iudicetur, ab Hippoc. non appellari concoctam, ſed eſſe, ſignum morbi benigni, & ſalutaris. aſſentior illi, benigni morbi indicium hanc vrinam afferre, concoctionis ſignum non præbere, hoc eſt, quod negamus: conſcij enim ſumus omnes interpretes, quantum ipſe obſeruare potui, in enarratione loci citati 2. prog. concoctionis ſignum eſſe profiteri: aſtipulatur etiam ratio. nam inter cetera, illud vnum benignum morbum eſſe, demonſtrat, cum ſigna concoctionis apparent, vel etiam à morbi principio, quæ ſaluti ſpem certam præbent. quamobrem profiteri, concoctionis ſignis defraudari benignos morbos ea, quæ concoctionis ſigna cenſentur, ſigna

conco-

concoctionis non afferre in benignoribus, morbis, totam salutarium signorum est destruere naturam. atque proinde hinc concludendum videtur, illud lotium, & concoctionis esse signum, & morbi salutaris indicium.

Numero 16. Laborem intulit pragmatico, hæc coacarum sententia. quibus in peripneumonia vrinæ crassæ, deinde ante quartum diem attenuantur, læthale est, quod concoctionis signum ab vrina captum, ex eo confingi opinatus est: quoniam tale lotium perniciosum est. qua ratione factum est, vt præallegatum locum ita interpretandum censuerit, vt concoctionis nomine minus proprie vsus sit ad crassitiem illius, per quandam similitudinem exprimendam. Verum ad loci huius intellectum, notabam ipse, non ex eo vitæ discrimen minari lotium illud, in peripneumoniæ principio, quia crassum, hoc est concoctum, excretum est: verum quia ante quartum diem attenuatur. quod indicat partes naturales, iecur præsertim, & venosum genus, à morbifica causa oppressum quę dum morbo acutissimo partium spiritalium iungitur, mortem minatur. namque morbus magnus, cum alteri superuenit, plerumque peri- p. 25.

mit, vti lib. de affect. testatus est Hippoc. Igitur solemne est, atque vulgatum, illud Gal. 3. epid. sect. 2. tex. 6. continuò in affectionibus thoracis, & pulmonum, vrinas contemplandas esse, quæ si bonæ apparent, haud magnum præbent momentum ad salutem, si praue amplificant ægri periculum. In principio igitur peripneumoniæ crassæ, & concoctæ excretæ vrinæ, cum deinceps recrudescunt, & tenuiores fiunt, non propterea in proprie dictas concoctas affirmandum est, sed maxime proprie. illa nō neglecta animaduersionæ, vt pernicies debeatur recrudescenti morbo, cuius indicium habetur ex vrina, quæ tenuior fit. quare ex eo loco minime deduci potest, concoctas reddi non posse, vrinas, in principio peripneumoniæ, etiam de Hippoc. sententia, cum ex illo contrarium habeatur.

Num. 17. Neque par ratio est illa, quæ desumitur ex sputis, cū de angyna lib. coach. in hunc modum perhibetur. ex angyna sputa glutinosa crassa, multum alba, vi expurgata, malum: atque omnis concoctio huiusmodi mala. Siquidem Hippoc. ita sputa huiuscemodi damnat; vt quo vis tempore excreta, mala esse consueuerit. Et quamuis concoctionem huiusmodi omnem improbandam, voluerit.

fuerit. hoc per antiphrasin accipiendum voluit Duretus. vel etiam affirmare possumus, illud sputorum genus non absolute, concoctum, dictum ab Hippoc. sed comprehensum sub hac nota, huiusmodi concoctio, vt intelligamus, veram non esse, & perfectam concoctionem. sed quandam in ijs reperiri, ex spuitionibus concoctionem, quæ reprobanda est, non expetenda, vel laudanda. Ex quibus compertum sit, ex ea sputorum prognosi; ad vrinas simillimam rationem minime deduci posse. quamobrem his ex omnibus concluditur, perpetuum non esse, quòd morborum principia concoctione careant, nec non in morbi statu illa perficiantur. cum his contraria, & obseruata, & memoriæ tradita, reperiantur, apud auctores. Vnde iure merito concludebat Mars. morborum tempora concoctione, & cruditate non distingui: sed symptomatum paruitate, & magnitudine, quæ mitia sunt in principio, vires acquirũt in augmento, sæuiunt in statu, & remittuntur in declinatione. Et quamuis magna apud medicos, altercatio sit, an morbi vigor, coincidat cum vigore symptomatum, hæc tamen tollitur, illa adhibita distinctione, vt symptomatum alia propria sint, alia communia, quorum priora

priora necessario vigent in vigore morbi, in postremis istud contingere non est necesse. Vnde concluditur, ex proprijs morborum symptomatibus morborum tempora distingui, non autem concoctione,& cruditate.

Num. 18. Postrema hac ratione concoctos humores purgandos non esse, visum est; quoniam concoctio futuræ crysis est indicum (concoctiones enim iudicij celeritatem portendunt) & ita prænunciant, vt Gal. primo aphor. 20. illud vnum,inter cetera, perfectæ crysis indicium esse,dixerit,quod est pręgressa concoctio.Igitur vt crysis dum fit,præsidio nullo est auertenda, vel augenda, aut alio quo vis modo irritanda, vel interrumpenda (quæ etenim iudicantur & iudicata sunt nuper, neque mouere aliquid, neque nouare oportet, siue medicamentis,siue quouis alio modo irritando) ita non multo post futura, purganti medicamento extorquenda non est, aut impedienda: eam ob causam. quoniam pharmaca cryses impedire solent, & naturæ cum morbo præsentem, vel paulo post futuram pugnam interrumpere. hanc quoque rationem dilaniare operam dedit magnarum
p. 18. rerum affectator,& grandi hac vsus est distinctione, nimirum cum pronunciatur, concoctiones

ctiones celeritatem iudicij , & securitatem atteſtari, nomen illud iudicij, in latiori ſignificatione accipiendum, prout omne ſolutionis genus importat: non autem de ea quæ fit ſenſibile euacuatione. quinimo (ita ſubiecit) cryſis contraponitur potius concoctioni, quam eam conſequatur. vulgatũ eſt enim, morbos terminari aut concoctione, aut cryſi, aut abſceſſu. Cum igitur adeo inter ſe diſtent concoquere, & iudicare, ideo ſignis perfectæ concoctionis apparentibus, raro cryſis, conſequitur, in qua natura humorem peccantem expellat. & ſi aliquando euacuat non ſemper id ſufficienter præſtat. Vnde ſepe occaſio porrigitur medico purgandi poſt concoctionem. hæc ille. quæ omnia libeat nobis ſigillatim examinare, & priori loco in diſputationem reuocare; an cum Hippoc. dixit concoctiones celeritatem iudicij, certamque ſalutem portendunt, iudicij nomen in ampliore ſignificatione, vſurpandum voluerit, an potius in maxime propria ita vt celere illud iudicium, quod portendit concoctio, cum ſenſibili excretione perficiatur, vti ipſe exiſtimabam cenſeo. Enim vero concoctio non tantum iudicij præſagium eſt, verum etiam illud celere portendit, cum certa ſalute.

te. quæ iudicij celeritas, cum salute non dubia, non nisi cum sensibile euacuatione contingere potest. exemplo febrium hoc comprobatur, quæ vbi desinunt, absque solutionis signis, recidiuam afferre solent, vt habetur, 3. prog. 22. signa solutionis sunt, vt Vallef. interprætatus, est prægressæ concoctio, quæq. subsequitur euacuatio, quæ adeo optanda est in febrium crysi, vt si illa desit, solutionis signum defuisse, dicatur; & iuxta recidiuæ, metus adsit occasio. Igitur quia infida illa morbi solutio est, quæ absque sensibili excretione fit, & quoniam infida spe concoctio caret, quæ cum celeri iudicio, spem certam salutis pollicetur, ideo consensiendum est, iudicium, quod portendit concoctio, non absque sensibile euacuatione perfici. Excretio enim necessaria est ad crysim perficiendam, vt nonnumquam Hippoc. cum defuit illa, defuisse iudicium, dixerit, quemadmodum dilucide exprimunt illius verba hæc primi epid. sect. primæ tex. 36. nullos erratice, & citra iudicationem deserabat. hoc est citra euacuationem. & tex. 33. sect. 2. lib. cit. plurissimis citra iudicationem defecerunt. hoc est absque euacuatione defecerunt. Quibus ex Hippoc. verbis compræhenditur, illud

pro-

propriæ iudicium dici; quod cum euacuatione perficitur. quapropter hinc liquet vbi ille ſcriptum reliquit, concoctiones celeritatem iudicij, certamque ſalutem pollicentur, de eà cryſi locutum, quæ excretionem adiunctam habet. quam quia medicamentum diſtrahere valet, iuſtis de cauſis proditum eſt concoctis humoribus, purganti medicamento parcendum.

Num. 19. Non me latet, de veritate enarratæ ſententiæ, dubitari poſſe; an certa res ſit, & veritati conſentanea, concoctiones, certam ſalutem, portendere, quando compertum ſatis eſt, alteratione non contemnenda diſceptatum à medicis an cum ſignis concoctionis quiſpiam mori poſſit. quem dubitandi campum; inter ceteros, dedit Argent. qui in calce libri 2. artis med. ſæpe ſcriptum reliquit, cum perfectis concoctionis indicijs homines à ſe viſos cum febribus perijſſe; quibus conſona memoriæ mandauit Salius lib. de peſte cap. 16. quo in loco in peſtilentibus febribus, ita contingere, ſcripſit, vt lotium ſatis laudabile, tanquam concoctionis ſignum, portendat ſalutem, & nihilominus infidum ſit. ſed eſt hac in re egregie philoſophatus Gal. lib. 3. de cryſ. cap. 3. & 5. vbi ſatis dilucida

cida oratione, testatus, est cum signis concoctionis perijsse neminem obseruasse se, & his similia de Hippoc. conscipsit Dur. lib. primo coac. tex. 51. cum protulit. qui cum pepasmo interierit Hippoc. vidit, neminem. quare Vales. lib. 2. prog. ad tex. 26. distinctione vsus, est, inquiens, cum signis perfectæ concoctionis fieri non posse, vt ægrotus intereat: cum signis manifestæ (& si per rarum sit) tamen aliquado diem suum obire posse. quæ Valles. resolutio, & si erudita sit, tamen notabam ipse in verbis Gal. eam concoctionem salutem polliceri, quam deinceps subsequitur euacuatio. protulit ergo. neminem videsse se mortum cum signis concoctionis, vbi crysim habuerint. & confirmant eiusmodi illius verba. neque vel animo concipi potest, quod post morbi exquisitam concoctionem, crysis mala sequatur: vt compertum sit, concoctionem non ex se, solamque salutem portendere, sed cum illam libera, & liberalis subsequitur euacuatio. quod, quia sæpissime contingit, ideo pronunciatur concoctiones celeritatem iudicij, certamque salutem portendere. Simillimam rationem est haurire à rigore, qui ardenti febri superuenit: de quo sciptum est 4. aphor.

58.

58. à febre ardente habito, rigore ſuperueniente, ſolutio. verum inutilis eſſet rigor, niſi aliqua ſolemnis euacuatio illum exciperet, cui tota ſolus, non rigori debetur. Verum quia euacuatio ſæpiſſime rigorem conſequitur in ardenti febre, ideo conſpecto rigore, non contemnendo moniti indicio, ſpem ſalutis pollicemur, & ſi hic illam non præbeat; ſed quæ ventura eſt euacuatio. Id ipſum de concoctione affirmamus, quam eo quod ſæpiſſime expetita & laudata conſequitur euacuatio, ideo de illa promulgatur, celeritatem iudicij, certamque ſalutem portendere. Quamobrem ſi contingat peculiari aliqua de cauſa, de qua in præſentia longius diſſerere locus non poſtulat, vt concoctionem non ſubſequatur euacuatio, vt celere non conſequitur iudicium, ita certam ſalutem non pollicetur. Hinc etiam depræhenditur, cryſi minime contrariam concoctionem; ſed ad hanc ſolam illam laudabilem conſequi. ſique contingat, vt hæc deficiens ſit, tunc medicis præſidijs adiuuanda, non purgatione ſola per aluum infernam, vt opinio eſt, ſed alijs præſidijs quam multis, vt venæ ſectione menſium prouocatione, & his ſimilibus. Cumque purganti medicamento eſt opus, non

illud eo consilio datur, vt concoctus humor educatur, verum vt exustus, vel his qui minime concoqui potuit euacuetur.

p. 21. 22. 23. *Num.* 20. Tempus æquum est vt deprædicatam, & salutarem methodum audiamus. quæ illud pollicetur, humores concoctos purgandos esse: & vbi signa cruditatis adsunt, nullo modo purgandum, nisi turgeat. hoc verò cruditatis, & concoctionis signa ex vrinis depræhendi: quæ si tenues fuerint, cruditatem arguere (nisi enim vrina tenuis fuerit, p. 24. nunquam cruda dicitur de Hippoc. sententia) eiusdem vero crassitiem concoctionis notam esse. at vrina media inter crassam, & tenuem, sicuti nec cruda, neque etiam cocta dici potest, ita purgationem prohibere, aut indicare per se, minime potest. hæc habentur in summa. In qua methodo notabam minus appositæ ne dicam ineptæ pronunciatum concoctionis, & cruditatis signa ex vrinis haberi, alijs prætermissis, ex quibus cruditatis, & coctionis indicia hauriuntur. Enimvero Gal. lib. primo de crys. cap. 7. & 14. vbi de his signis verba facit, minime arbitratus est satisfecisse omnibus, vrinas solas memorasse, nisi alui excrementa, & sputa recensuisset, ex quibus cruditatis, & coctionis signa

gna habentur. Et quemadmodum venosi generis, signa hæc desumuntur, ex vrinis ita partium inspirationi inseruientium, & thoracis ex sputis, & ventris inferioris, ex alui excrementis: in tantum vt cap. 7. citato primi de crys. & 2. prog. 26. vrinas decreuerit inspiciendas, in febribus solis alijsque, morbis febribus copulatis, eam ob causam: quoniam illæ, venosi generis passiones sunt, quarum cruditatis, & coctionis, quemadmodum prauitatis, & benignitatis, signa depræhenduntur ex vrinis. quamobrem longe lateque à recto medendi scopo, is aberrat, qui persuasum habet, coctionis, & cruditatis signa in morbis omnibus ex vrinis haberi posse, adeo vt illæ solæ attendendæ sint, alijs prætermissis, ad has notas capiendas.

Num. 21. Sed neque illud est veritati cōsentaneum, vt sola vrina tenuis cruditatis signum habēda sit, conscij namque sumus, hoc ipsum depræhendi etiam signum, ex crassitie. Non est mihi locus in præsentia inquirere, an tenuis vrina semper cruditatis nota, sit, facit enim dubium, primo quia Hippoc. tenuem à cruda nonnunquam distinxit, vrinam; quemadmodum hæc indicant, verba illius 2. prog. 34. qui tenues, crudasque vrinas mingunt,

& his simillia dixit lib. coac. Epileticis vrinæ præter naturam tenues, & crudæ. Secundo quia apud interpraetes illa satis vulgaris, solet exagitari quæstio, an vrina tenuis fieri possit, ex obstructione, an vero ex cruditate sola. de qua quicquid decernendum sit, illud sane dubitandum non est, calculo laborantes nonnunquam satis tenue lotium, mingere; ex quo cruditatis nota deprehendi non potest, cum hoc contingat ex obstruente calculo, qui nec coctionis, neque etiam cruditatis præbet indicium. Verum vt redeamus vnde fluxit oratio: nempè, cruditatis signũ haberi etiam excrassiori vrina; dulcide deprehenditur ex Gal. qui primo de crys. cap. 12. satis appositæ & luculenter, cum tenues, tum etiam crassas, seu turbulentas vrinas, cruditatis notas esse, significauit. Cæterum quia de Hippoc. sententia certatur; quem locasse cum crassitie cruditatem in vrinis audiamus Valles. lib. 3. controu. cap. 23. in hunc modum scribentem primo Epid. parte 3. historia Philini, vrinæ, inquit tenues & decolores in principio. deinde (paucis interpositis) describens vndecimam diem: vrinam reddebat vna cum conuultionibus affatim multam, raro admonentibus, crassam albam, qualis est, quæ in ma-

tellis

tellis diu stetit, cum agitatur non subsidebat: color, & crassitudo similis iumentorum vrinis. vides (inquit ille) quàm apposite dicat crassam, quæ cruditatem significat, esse conturbatam. hæc Vallesſ. quippe omittens historiarum multarum examen, vel vna Periclis 3. epid. sect. 3. omni procul dubio perspicuũ reddit, crassas etiam vrinas, cruditatis notas esse. Primo die, ait ille, vrinam minxit multam, turbatam, albam, deposita non subsidebant. Secunda vrinæ crassæ quidem erant, verum magis subsidebant. Tertia vrinarum copia, quæ concocte multam subsidentiam habent. hucusque Hippoc. vt igitur pragmatico voces suas reddamus. cum nihil dicatur concoctum, quod antea non fuerit crudum, eo quod Pericles tertia die, lotium concoctum, minxit, necesse est fateri, excreuisse illud antea, crudum: quod ante minxit lotium, semper fuit crassum, ergo quid antea crassum minxit lotium, erat crudum. atque proinde hinc perspicuum fit, crassam etiam vrinam cruditatis notam esse. & ideo à veritate minime longinquum, cum tenuem tum etiam crassam vrinam, cruditatis signum præbere. Gal. enim citato cap. 12. primi de crys. testis est; & indicauit etiam Actuar. lib. primo p. 25.

 meth.

meth. cap. 14. quod optime coctum est lotium, medium quoddam inter extrema, obtinere, in crassitiæ. quodque hoc ipso crassius est, aut tenuius, concoctionem imperfectam significare; quare recessus omnis à mediocritate crassitiei, & tenuitatis, cruditatis est indicium,& quanto recessus maior est, tãto concoctio deterior, cruditasque maior est. Ex quo sequitur, vt eorum decreto acquiescendum non sit, qui contendunt, medium quoddam statum vrinarum, dari, qui neque cruditatis, neque coctionis, nota sit: quandoquidem eo dempto lotio, quod medium obtinet crassitiei, & tenuitatis, omne aliud cruditatis est indicium. quanquam hanc minorem arguat, vel maiorem, prout maior,vel minor, recessus erit à mediocritate. Fateri ergo cogimur, decipi nos à speciosa ista methodo, mox è faucibus orci erepta,& ad salutem hominum promulgata. Fallunt enim nos signa,in medium allata, à quibus concoctionum notas nullo pacto assequi valemus: quanquam hæc asserta conclusio nunquam fuit satis probata; vt concocti humores medicamento purganti educendi sint; cũ potius hi nunquam euacuandi veniant: sed vel crudi, vel etiam, quod ex ijs in concoctione fuit exu-

exūstum, quodque concoqui non potuit. & quoniam crudi humores ex arte educi possunt pharmaco, hinc sequitur, vt maxima consentiente ratione, non in ipso morbi vigore, sed in ipsius initio medicamentum purgans, propinari possit. quæ assertio aphorismo, concocta medicare, non repugnat, in quo de humoribus minime verba fieri, compertum habemus.

Num. 22. Alia fauet ratio qua decernitur concoctos humores medicamento educendos non esse. namque si de ijs sermo esset ad ciendum vomitum, humorum concoctio expectanda esset: vnum enim verbum, medicari, tam euacuationem, quæ per aluum fit infernam, quam, quæ vomitu tentatur, complectitur. Hippoc. quartæ sect. aphorismus quartus hoc indicat, in quo scriptum reperitur. medicari æstate superiores magis, hyeme vero inferiores. Gal. quoque aphor. 16. sect. citatæ, dum interpretatur aphoris. 37. sect. 2. omnem purgationem verbo medicari, complecti, memoriæ mandauit. in tantum vt, quo loco Hippoc. dixit, carnes sanas habentibus helleborus periculosus, & sermo illi est de euacuatione, quæ efficitur vomitu, (quinta enim aphor. primo ita Gal. sentit, vt cum hel-

lebori mentio fit, absque adiectione, de albo, qui vomitu euacuat, dictum accipiendum sit) hanc euacuationem sub generali eo aphorismo, in quo de omni purgatione verba facit, complecti interpretandũ sit: quippe qui omnem illam purgationem, verbo medicari, expressam, testatus sit. Sed ipsum Gal. dicentem audiamus. quod in præcedentibus dixerat, in omnibus purgationibus, hoc nunc in ea sola dicit, quæ fit per helleborum: adeo vt duo aphorismi possint inuicem iungi, tali modo. qui corpore bene se habent difficile est medicari. sic ergo vt helleborus carnes sanas habentibus, periculosus est: conuultiones enim facit. Quia igitur verbo medicari vtraque euacuatio, exprimitur, & sub illo comprahenditur etiam quæ fit helleboro, cui proprium est vomitum prouocare, clarè patet dictum Hippoc. concocta medicare, de sola haud accipiendum purgatione; quæ aluo inferna citata, fit; verum etiam de illa, quæ vomitu tentatur. hanc veritatem indicauit Holler. quando hoc aphorismo scribebat φαρμακεύειν non solum de medicamentis per deiectionem purgantibus, dicitur: sed etiam generalius de purgatione, ex omnibus corporis partibus: in qua comprahendi etiam vomi-

tum.

tum. compertum est.

Num. 23. At clamat aduersarius, verbo medicari, non comprehendi purgationem, quæ vomitu fit: sed eam tantummodo, quæ potato medicamento, fit per aluum. rationem adiecit, inquiens, quando aphorismo primo sect. 4. hoc verbo φαρμακεύειν vtero gerentes purgandas esse, nos admonet, à quarto mense vsque ad septimum: abstinendum vero ante, & post illud tempus, ob periculum abortus, de inferna tantum purgatione, eum locutum, non etiam de ea, quæ sursum fit, ex eo licet colligere, quia lib. primo de morb. num. 7. infortunia recensens, quæ absque medici culpa ægris eueniunt, illud proposuit; si mulieri vtero gerenti, dato pharmaco sursum purgante, aluus inferne erumpat, & abortus sequatur. inferens huiusmodi periculum abortus, superna purgatione nequaquam imminere: alioquin casus fortuitus minime dici possit quæritur, addit ille, dum monet Hippoc. ante quartum mensem & post septimum, non esse purgandas vtero gerentes, non includit purgationem per superiora, quippe quæ abortus, periculo non subijcitur, & quolibet grauiditatis tempore vsurpari potest; sed eam tantummodo quæ p. 9. p. 8.

 fit

sit deorsum. Hæc ille. quæ equidem grandis promissio est: veritati tamen longe dissona. quandoquidem auctorum nullus est, qui optima ratione duce, affirmare ausus sit, vomitum prægnantibus prouocari posse absque abortus periculo: quin potius his contraria protulerunt, affirmantes inter abortus causas cõscribendum vomitum. In quam sententiam notabam locutos Ambros. Paræum operum suorum lib. 23. cap. 30. Vidium Iuniorem lib. 11. de morb. membratim cap. 32. & ex neotericis alios multos. fauet Auicen. f. 4. p. cap. 11. vbi expresse mandauit, faciendum non esse, vt prægnans vomat. quo loco rationem afferens. Iacob. de part. inter cæteras illam attulit, quoniam ex illo abortiuus fœtus facile excludi potest; & Vgo Senen. loco præallegato, generale canon esse litteris scriptum reliquit, prægnantes pharmaco, quod vel alui subductionem, vel etiam vomitum concitare queat, non esse purgandas; & à vehementi vomitu ita abstinendum, vt nullo artificio concitandus sit. Astipulatur quoque eiusdem Iacobi interpretatio ad fen. 21. 3. 4. 2. cap. 8. quo in loco cum Auic. dixit, ex euacuatione abortum contingere, ille pari passu ex vomitu, & alui subductione effici affirma-

firmauit. Itaque Petrus Appon. differ. 168. sui conciliatoris, quærens quod nam præsidium perniciosius sit in vtero gerenti, nempe sanguinem mittere, an purgare; notat etiam, vomitum perniciosum magis esse alui secessu in prægnãte: adeo vt ex euacuationibus pharmaco tentatis, vomitus, cæteris paribus, primum locum obtineat ad abortum prouocandum. Quare firmissimis rationibus impellor, vt persuasum habeam, quo loco Hippoc. dixit, vtero gerentes medicari oportet, à quarto vsque ad septimum, si turgeat, tum de euacuatione, quæ fit per aluum infernam, tum etiam de illa, quæ vomitu efficitur; illum verba fecisse: nam, præter quam quod ipsa vocis acceptio astipulatur, quæ vomitum, & alui secessum comprehendit pharmaco tentatum: Fauet etiam Gal. enarratio, qui eo in loco affirmat, medicari verbum, vsurpatum, pro purgare. Cæterum vno purgationis nomine, tam vomitum, quam alui secessum complecti Gal. verba indicant 2. aphor. 9. qui interpretatus illud Hippoc. corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere: ita de purgatione Hippoc. locutum interpretatus est, vt cum vomitus, tum alui subductionis, ratio habenda sit ad efficiendum corpus fluidum.

fluidum. ratus vno purgationis nomine euacuationem vtramque complecti: adeo vt, eam ob causam censuerit, ad purgationem efficiendam inferioris vētris & superioris rationem habendam: quia dum sermo est de purgatione, vtraque euacuatio deprahenditur. apertius habetur ex Vgone Senen. de ambabus euacuationibus verba fecisse Hipp. citato aphorismo primo sect. 4. hic enim ponderans Gal. interprætationem, notandum censuit, illud fuisse consilium illius, vt senserit, tam de vomitu, quam alui subductione, eo in loco Hippoc. locutum. quibus consona conscripsit Iacob. de part. sen. 4. primi loco antea deducto, qui de Gal. & Hippoc. sententia decernit, vomitus, & alui infernæ euacuationes, eo in aphorismo complecti Hipp. ex quo illud etiam compertum sit, tantum abesse, vt aphorismus iste faueat aduersario, vt potius ex hoc, illius sententia penitus euertatur.

Num. 24. Neque ex deducto loco lib. primi de morb. concluditur, supernam euacuationem abortum minime efficere, quando illud medici infortunium esse dixit, cum vtero gerenti medicamentum superne purgans exhibetur, ex quo aluus inferna erumpens,

foetus

fœtus perditur. nam vel nobis sermo est, de vtero gerente, nondum morbo depræhensa, vel illo capta. vtero gerenti dum morbo fatigatur, à quarto vsque ad septimum mensem, dum turget, ex arte est pharmacum dare, superne, vel inferne purgans; prout natura ad hanc, vel illam euacuationem extimulatur. quamobrem si ita turget, vt ex illa turgescentia, consiliam capiat, medicus propinandi medicamentum, quod vomitum ciat, eoque deuorato non ex voto respondeat: sed infernam ciat euacuationem, ex qua subsequatur abortus; hoc medici est infortunium. Si vero sermo sit, de prægnante, nondum morbo fatigata, fortasse ausi essent veteres, ob vomendi maximam consuetudinem, peculiari aliqua de causa, illi vomitum concitare, à quo abstinerent iuniores, eo quod iam pridem euomendi consuetudo exoleuit, quo, pharmaco tentato vomitu, si aluus inferna erumpens, abortus consequeretur, hoc medici esset infortunium. Sed aphorismo istud non refragatur, qui de muliere vtero gerente, exagitata morbo edisserit.

Num. 25. Orationem vertamus ad aliud argumentum 4. aphor. num. 5. habemus sub cane, & ante canem difficiles esse pharma-

cias,

cias, quo quidem nomine si ea pariter, quæ sursum fit, purgatio significaretur, male dixisset Hippoc. in epistolam ad Crateuam scribens. in Abderam migraturus, ad curandum helleboro Democritum, ab insania (vt ferebatur) vexatum, illud anni tempus curatione congruum esse, quod quidem tempus specialiter expressit Damageto scribens, illud esse, in quo etesiæ spirant, cuius temporis opportunitate confisus de salute Democriti plurimam spem conceperat. Etesias verò in æstate, & diebus canicularibus spirare, notum est. quo circa si tempus opportunum purgationi, per veratrum album scilicet, cuius euacuatio peculiaris est per vomitum, æstiuum est, & sub cane. quod etiam 4. aphor. 4. confirmauit: certum est dum Hippoc. inquit sub cane & ante canem difficiles sunt purgationes, non posse intelligere, eas quæ fiunt per superiora. sic ille. Esto dederit Democrito album helleborum Hippoc. ad vomitum ciendum (quod sane illius dicto refragatur, vt mox indicabimus) non hoc refragatur aphorismo, in quo decernitur, sub cane & ante canem difficiles esse purgationes. Etenim hoc theoremate ex toto minime substulit, & prohibuit purgantia medicamenta

camenta sed medicum admonitum voluit, ardore canis vigente, difficilius ægriusque substineri purgationes. Vnde cum viribus confidimus, & ex arte decernimus opus esse purgantibus medicamentis, illis non parcimus, & si caniculares dies sint. Sed est his addendum nec album helleborum Democrito destinasse. Hippoc. verba omnia hæc demonstrant. siquidem in epistola ad Crateuam, hæc loquitur. tutiores semper sunt purgationes per veratrum, quibus etiam Melampus in Phreti filiabus, & Anticyreus in Hercule, vsi narrantur. minime verò vtemur nos, vllo aliquo ex his, in Democrito. quibus compertum sit minime decerni ab Hippoc. se Democrito daturum helleborum. quo etiam concesso, notandum est, sermonem haberi de Melampodio, & Anticyreo helleboro, quem nigrum esse constat, non album. sique aduersarius aliter senserit, nauiget ipse Anticyras, vel consulat Diosc. lib. 4. cap. 146. & rem ita se habere certior fiet. quibus similia reperiet apud Plin. lib. 25. cap. 5. dicentem. nigrum (de veratro quippe illi sermo est) ex his Melampodion vocant; adeo vt hinc compertum fiat Anticyreum veratrum, & Melampodion nigrum

esse, non album: & deductam ex hoc loco rationem, si quam sortiretur efficaciam, ipso aduersario refragaturam nullum purgationis denique genus, flantibus Etesijs, Democrito destinasse Hippoc. hæc illius verba declarant, in epistola ad Damagetum, conscripta. Ego adhortabar ipsos, vt confiderent, tanquam fortassis nihil esset mali, aut, si quid esset, modicum id esset, & correctum facilè, confisus horis anni etesijs. Quibus significare voluit, in ea se opinione versari, Democritum non insanire, eo quod spirarent etesiæ. vel si qua esset, modica eandem ob causam esset affectio. Vnde tantum abest vt excogitauerit Hippoc. flantibus etesijs, daturum se helleborum Democrito, vt nulla apud illum hellebori reperiatur mentio.

p. 26. *Num.* 26. Sic deinceps proclamatur medicari æstate superiores ventres magis, hyeme verò inferiores, vnde certum est, dum Hippoc. inquit, sub cane, & ante canem difficiles sunt purgationes, non posse intelligere eàs, quæ fiunt per superiora. Voluit dicere. Si vox ista medicari, exprimit etiam supernam euacuationem hæc, aphorismo sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes, prohiberetur, & alio aphorismo, medi-

care

care æstate superiorem ventrem magis, hyeme verò inferiorem, ijsdem æstiuis diebus, rursus commendaretur. quare ea recepta interpretatione, & vocis significatione, duobus aphorismis pugnantia dixisse Hippoc. ad quam euitandam contradictionem, decernendum est, verbo medicari, infernam euacuationem dumtaxat significari. hæc tamen ratio tanti facienda non est, vt illa persuasum sit, ambas euacuationes minime exprimendas fore, verbo medicari. Nam dum contemplamur cunctos dies æstiuos, qui siue definiantur à medico vere ad medium vsque autumnum, siue alio quouis modo, comparati ad dies hybernos, illi per superiorem ventrem, vti hi per inferiorem, indicant magis euacuandum. quæ assertio perpetuam, & inuariabilem normam minime præbet, conscijs æstate per aluum infernam, vti hyeme per uentrem superiorem euacuari etiam posse. verum quando ex æstiuis diebus caniculares solos oontemplamur, de illis illud ferimus iudicium, quamuis ipsi æstiui dies per superiora euacuandum magis, indicent: nihilominus cum ad caniculares venturum est, illud obseruare debet medicus vt, quantum fieri potest parceat medicationi: hoc est vomitui,

& alui

& alui secessui, medicamento concitati, eo quod tunc temporis difficiles sunt medicationes. Ex quo non illud sequitur, sub cane difficiles sunt medicationes, hoc est alui subductio, & vomitus medicamento procurati, falsum ergo est, quod æstate per superiores ventres magis, medicari oportet; nam priore loco capiendum est consilium de purgatione, in quo capiendo, illud est obseruandum, quantum ad anni tempus spectat sub cane,& ante canem medicari difficile esse: quod si viribus confisi, & à morbo sumpta indicatione, etiam sub cane medicamentum præbendum decernimus, tũc illud statuendũ est, eo quod illa pars anni ab æstate compræhenditur, ab anni tempore indicatione sumpta, & alijs consentientibus, per superiora euacuandum magis. atque hinc liquet, sub cane cum opus est purgatione, per superiora euacuandum magis, eo quod superior euacuatio, æstate magis tentanda est. & ex his deducitur etiam pugnantia minime scripsisse Hippoc.

Num. 27. Quia ergo verbo medicari non minus infernam, quam supernam euacuationem complectimur, cum dicitur, concocta medicare, pari passu alui subductio, & vomitus,

tus, concoctis humoribus, prouocandus esset. quod, ex eo falsum esse depræhenditur, quoniam maxima consensiente ratione, morbo inchoante vomitum prouocat medicus. testem habemus Hippoc. qui lib. 2. de fract. tex. 27. in calcis fractura prima die, vel etiam postera veraturum exibendum proponit, illudque eo nomine Gal. ibidem interpræte, vt vomitum cieat. & lib. de inter. affect. dum præsidia conscribit aquæ inter cutem à splene ortum ducente, à principio ita curandam decreuit, vt priore loco, veratro exhibito, sursum purgetur. & in curatione tabis dorsalis, si ab initio, inquit, curandum susceperis, fomento per totum corpus adhibito, medicamentum sursum purgans bibendum dato. Sed est de vomitu adeo apposite locutus Auic. vt omni careat dubitatione, quin à principio prouocandus sit. hic enim fen. prim. 4. tract. 2. cap. 59. in quartanæ febris curatione, de vomitu sermone instituto, sic loquitur. vomitus iterum & proprie ante cibum, & post cibum etiam conuenientior. & proprie in die paroxismi ante paroxismum: & proprie quando melacholia est phlegmatica, est de rebus iuuantibus in ea, & non in principio tantum, immo in omni hora. Hæc ille ex quo auctore

compertum ſit, non tantum in principio, vomitum concitari poſſe, verum etiam in ipſo acceſſionis die. quod ante omnes decreuerat Hipp. lib. de affect. vbi in medela quartanæ febris, medicamentum ſurſum purgans, in ipſa appræhenſione exhibendum voluit. & his ſimilia memoriæ mandauit Aetius lib. 3. cap. 125. vbi cum de veratro verba facit, in quartanis & fluxionibus inteſtinorum, illo vomitum prouocandum dixit, in ipſis acceſſionibus. Aſtipulatur etiam Gal. dum lib. quos & quando in hunc modum ſcribebat. acceſſiones quoque quomodo euacuandum ſit, docent. nam, dum acceſſio infeſtabit, à ſuperioribus educes: vbi deſtiterit, quod intermiſſionem dicimus, ab inferioribus trahes. Vnde ſequitur, vt, cum vomitu vti poſſimus in ipſo morbi principio, quo tempore humores concocti non ſunt: cumque verbo medicari compræhendatur etiam vomitus, qui cõcoctionem non optat, concluditur, de humoribus nullo pacto verba feciſſe Hippoc. hoc aphor.

p. 11. *Num.* 28. Aequo animo non feret hanc iniuriam aduerſarius, edoctus non in ipſo morbi principio vomitum ciendum: ſed illo vigente. quoniam omnium temporum peculiaria

culiaria sunt remedia, quæ extra illa importune administrantur. in quem censum, subiecit, veniunt vomitus, clysteres, & sanguinis missio per hemorroidas, quibus non in principio morbi vtimur præsidijs: sed properante ad vigorem morbo. Verum, det veniam æquus lector, omnia præsidia hæc inchoante morbo, ex arte administrantur: non status propria sunt. nam quis statim à principio morbi, vbi venenum ingestum est, illud vomitu non discutit? quis cardialgia oppresso, confestim vomitu non fert opem? longum esset affectiones omnes recensere, quibus vomitu, à morbi principio succurrimus. Sed allatæ rationes plenè docent, inchoãte morbo, morbificam causam vomitu discutiendam: neque ad hoc efficiendum, morbi statum expectandum, tanquam remedij huius proprium tempus.

Num. 29. Quanquam nec clysteriorum vsus morbi status peculiare præsidium decernendum est. namque nihil in medendis morbis notius, quam clysteria à morbi principio inijci, ad subducendam aluum. Gal. enim hoc affirmauit lib. de morb. temp. cap. 2. & alia astipulatur ratio. Enimuero, cum morbi exigunt venæ sectionem, quam à principio

moliri, non dubitamus, & peculiari aliqua de caussa ægri illam non sustineant, ad clysteria confugimus vti Gal. indicauit lib. 2. de comp. med. 5. loco cum de ijs edisserit, quibus ex plaga caput dolet: & primo ad Glauc. cap. 14. quorum iniectio inutilis esset, & non citra noxam, si status proprium esset remedium. Illa insuper quæstio hoc confirmat, in qua disputant medici, an ante, vel post vene sectionem, clystere inijciendum sit. quam ipse enodandam censeo, & ante, & post venæ sectionem illud inicij posse. cumque sanguis, vena secta, à morbi principio detrahatur, quo etiam in tempore clystere infunditur sequitur, status morbi illud minime proprium esse
p. 13. remedium. Sed hac in parte maluit aduersarius purgantia dicere, quam affirmare vomendum non esse, à morbi principio, & clystere non inijciendum. hic enim, dum examinat Aegyptiorum medendi methodum ab Arist. relatam lib. 3. polit. impiam fuisse illam profitetur, si verbo, mouere, omnia complexus esset præsidia; atque horum nullum vsurpandum, ante quartum diem. eo quod morbis non oculis statim occurrendum est, venæ sectione, & purgatione per vomitum, & clysteribus, alijsque medicis præsidijs. Sed

ipsum

ipsum scribentem audiamus. Arist. lib. 3. polit. inquit in Aegypto post tertiam diem mouere licet medicis: quod si prius, periculo id agunt suo. quæ quidem lex impia fuisset si scilicet venę sectionem,& vomitiones,& iniectiones per clysterem,& omnia alia medica præsidia sub verbo mouere compræhendi voluisset: ita vt nihil eorum ante quartam diem vsurpare licuisset medicis. quomodo enim anginas apoplexias aliosque morbos curassent qui vt plurimum ante quartum diem occidunt. similiter & ventris tormina renum aliarumque partiū dolores,& tot morborum genera quibus statim occurrendum est,& venæ sectione, & purgatione per vomitum, clysteribus, alijsque medicis præsidijs? hæc ille. Igitur, quia clystere, & vomitu fert opem medicus, cum ijs vtitur à morbi principio, idcirco non hæc status propria censenda sunt remedia.

Num. 30. Sanguinis demum missio per hemorroidas (quod erat tertium præsidium) status proprium constituendum non est remedium. quod plerique omnes hyrudinum morsibus efficiunt. hac enim in parte affirmare auserim, aberrare multos, qui vel in statu morbi, vel alio quo vis tempore, ex hemor-

rhoidibus sanguinem detrahunt, etiam hyrudinibus appositis, omni procul methodo, & indiscrete omnibus. Trincauellij adest declamatio lib. 10. de par. hum. corp. affect. cap. 14. asserentis, nouum hoc esse inuentum, & à veteribus nullo pacto probatum. eam ob rationem, quam Gal. indicat 4. aphor. 25. qui apertissime consuluit, assuescendum non esse euacuationi, quæ per hemorrhoidas fit: quandoquidem perniciosum habent vtramq. immoderantiam, nempe cum supprimuntur, vel etiam nimium fluunt. Verum admonitio hæc locum non habet, cum euacuatio consueta est, & quo tempore illam prouocare curamus, suppressa. Siquidem tunc ex industria agendum, vt sanguis fluat; alijs vero nominibus, neque etiam tentanda ex illis euacuatio. erudite hoc significauit Actuar. lib. & cap. 3. meth. cum decreuit, hyrudines ipso etiam recto intestino apponi nonnunquam, scilicet cum ora venarum iam pridem fuerint obcœcata, & propterea negocium facessunt. Quamobrem nisi obcœcatæ hemorrhoides negocium facesserint, non est cur aperiendæ veniant. Declarauit hoc ipsum Iacob. de par. fen. 4. primi cap. 22. qui dum partem illam Auic. interpretatur, in qua de

hyru-

hyrudinibus verba facit, in ipso capitis calce, notandum duxit, adhiberi nonnunquam hemorrhoidalibus venis dolorosis; ac si dicere voluerit. prouocandas illas minime in morbis quam multis, vt multi faciunt, nisi obcœcatæ dolorem intulerint. Sed omnium dilucidissime Card. & Holler. ad aphor. 11. sect. 6. demonstrant, operam dandam non esse, vt ex ijs venis sanguis fluat, hyrudinibus appositis, nisi tumuerint, & aliàs sanguinem effuderint. ex quibus colligo, nisi consueta fuerit sanguinis euacuatio per hemorrhoidas, & suppressa, non est cur medicus det operam, illas aperire. His subijcio, inepte eos facere, qui ante pubertatem prædictis venis hyrudines apponunt, cum ante illud tempus minime tumeant. quemadmodum coac. lib. diserte testatus est Hippoc. colligo etiam, quemadmodum male agunt ij, qui indiscrete hemorrhoidas, sanguinem effundere, dant operam, ita pessime illos agere, qui non animaduertunt, an venæ illæ adsint, quibus plerosque carere loco præallegato memoriæ mandauit Card. itaque nisi consuetus fuerit sanguinis fluor ex hemorrhoidibus, fueritque tunc temporis suppressus, non est cur morsibus hyrudinum, vel alio quo vis præsidio prouo-

candus sit. Cumque id efficiendum est, non ipse status morbi expectatur: sed à principio sanguis ex illis detrahitur. ratio deducitur ex Gal. lib. & cap. 4. de tuenda valetudine dum statuit, in sanguinis copia venam secandam esse, siue alio præsidio vtendum, quod tantundem valeat. Tantundem valere, dixit, hemorrohidibus retentis, illas euacuare. Igitur cum hemorrohidum euacuatio, vices subeat venæ sectæ, quæ citra controuersiam in principio tundenda est, dedita etiam opera in ipso morbi principio ex hemorrhoidibus sanguis detrahendus est, vt subeat vices venæ sectæ. Vnde ex his satis collisa est illa conclusio, vt vomitus, clysteris iniectio, & per hemorrhoidas sanguinis euacuatio status propria sint præsidia.

Num. 31. Illa denique recepta interpretatione, vt peracta humorum concoctione, medicari, & mouere oporteat, illud sequeretur absurdi, vt non nisi concoctis humoribus sanguis, vena secta, detrahendus esset: non autem à morbi principio. Verbo enim mouere ipsa comprehenditur sanguinis missio: cumque mouendum sit concoctis humoribus, vena pariter secanda esset, vt sanguis flueret, concoctis humoribus. quod falsum esse, pau-

lo

lo post demonstrabimus: neque hac in parte arridet pragmatici explanatio, vt verbo mouere, quando simpliciter est prolatum, nec quicquam additur, quod peculiarem motum p. 10. significet, eum importare, qui fit deiectione. Etenim si hæc vera foret opinio, inconsulto factum esset ab Hippoc. lib. 2. de morb. cum de tabe dilleritur, vt ad exprimendam infernam euacuationem, dixerit, ventrem infernū ne moueas: perhibuisse enim fuisset satis, ne moueas. quo crimine nullo pacto damnādus est Hippoc. cui cum notum esset, verbum mouere, non ipsam solam euacuationem complecti, quæ medicamento fit: ideo ad exprimendam euacuationem infernam, ventrem infernum, protulit, medicamento ne moueas.

Num. 32. Erudite ergo censuit Gal. 2. aphor. 29. verbo mouere exprimi etiam sanguinis missionem. quam eandem vocis acceptionem, Arabes auctores, sequutos, persuasum habeo. Halliabas enim lib. 5. pract. cap. 22. expositis signis, quibus præsentibus sanguis detrahendus est, apoplecticis, iisdem absentibus, ne mouere, subiecit, nec aliquid ciborum exhibeas, aut medicaminum, donec 72. transeat horas. vt ergo declararet venam minime secandam esse, ne mouere, dixit, ra-

tus hoc verbo significari etiam venæ sectionem. eundem sensum Auic. verba sortiri fen. prima 4. tract. 2. cap. 7: verendum non est, quando scribebat; non moueas in die paroxismi aliquid, quantum possibile est. Ex communi etenim explanatione interpretum de venæ sectione etiam verba hæc intelliguntur. quem etiam intellectum eiusdem locutio assequetur hisce subsequentibus verbis. apud statum non moueas aliquid, donec vincat natura, & digerat: etsi ipsa non mouet, moue tu hora motus eius. vbi Iacob. de part. non moueas aliquid, inquit ille, idest nullam excites euacuationem, neque phlebotomiæ, neque pharmaciæ. Itaque Petrus Appon. in Arabum schola exercitatissimus, differ. 163. sui concil. dum illam quæstionem ponderat, an mouendum sit, in die motus ægritudinis: vocis mouere acceptionem interpretaturus, sciendum, ait, quod mouere est euacuare, seu educere. Euacuatio vero est multiplex: quædam namque sanguinis, alia vero humorum aliorum: quæ animaduersio illuc dirigitur, vt declararetur, verbo mouere, exprimi etiam sanguinis missionem. Sed recentiores audiamus auctores, græcarum litterarum haud ignaros. Vallesi. 2. aphor. 29. mouere, dixit,

eſt vtcumque aliquid circa ægrotantem moliri. & ſe ipſum inferius declarans, in initio, ſubiecit, mouere licet, aut ſanguinis miſſione, aut expurgatione, aut aliter. Quibus conſona ſcripſit Holler. qui prima aphor. 20. cum declaraſſet, κινέειν mouere apud Hippoc. vocabulum eſſe generale ad maiora præſidia, 2. aphor. 29. hæc eſſe declarauit præſertim phlebotomiam, & pharmaca. clarius verbũ illud eſt interpretatus Fallop. lib. de med. purg. cap. 16. apud quem ſcriptum reperitur. per illud verbum mouere, non intelligi minorationem, ſeu minoratiuum pharmacum, vt quidam male exponunt: ſed intelligit omnem motum humorum, quocumque inſtrumento fiat, & per quamcunque partem: vel per ſcarificationem, vel per ſudorem, vel per lotium, vel per pharmacum, vel per ſectam venam; ſic ille. longum eſſet recenſere omnes: ſatis ſit adieciſſe Card. qui primo aphor. 22. & lib. 2. 29. dilucida oratione interpretatus eſt, verbo, mouere, comprehendi etiam ſanguinis miſsionem. apud ipſum hæc leguntur. mouere intelligitur tribus modis. euacuatione, & hoc dupliciter, venæ ſectione, & purgatione: deriuare, ſeu tranſponere, & auertere. quibus ex omnibus illud

dedu-

deducitur tanquam corollarium, verbo mouere, quod omnem medicam comprehendit motionem, ex omni medicorum schola, Græcorum, Arabum,& Latinorum, sanguinis detractionem complecti. quamobrem nullo pacto euitari posset (in illa sententia inherendo, vt de humoribus sermo habeatur in præsenti aphorismo) quin consensiendum esset, concoctis humoribus, venam tundēdam esse, eo quòd concocta mouenda sunt. quæ assertio omnino falsa est.

Num. 33. Noui Auic. in illa versari sententia, vt iam concoctis humoribus, sanguinem detrahendum esse decreuerit, quemadmodum hæc verba illius, vel interpretis potius, declarant fen. 4. primi cap. 20. cum maturatio apparuerit,& ægitudo principium, aut statum præterierit tunc si oportuerit, vt minutio fiat, si non fuerit quod prohibeat, fiat. Sed hanc Auic. sententiam communis medendi vsus penitus euertit, quo quisque statim à principio sanguinem detrahi decernit, nulla humorum expectata concoctione: quin potuis venam à principio tundi suadet, vt concoctio fiat, non è contrario: namque eo nomine saluberrimū est in omnibus putridis, sanguinem mittere, Gal. teste 11. meth.

15.

15. quia exonerata natura, eo onere, à quo tanquam à ſarcina præmitur, concoquit quod eſt concoquendum, & expellit quod eſt expellendum, & ſimillia de cauſa, in morborum principijs maiora afferenda ſunt præſidia, eodem auctore Gal. 2. aphor. 29. quæ ſunt venæ ſectio, & purgatio, quia ob minorem iam factam materiam, natura, quod reliquum eſt, facile concoquit. &, quamquam ipſe Gal. vigeſimo etiam die, venam ſecari poſſe decernat lib. de ſang. miſſ. cap. 20. adhuc ſcire ſupereſt. non eo conſilio illud decerni, vt concoctio expetetur: ſed ad declarandum, quamuis primum tempus, hoc eſt principium, ſit prætermiſſum in venæ ſectione, nihilominus defectum illum reſarciri poſſe, primis etiam euolutis diebus, tam & ſi vigeſima à primo morbi inſultu dies ſit; dummodo principes ſcopi ad ſanguinis miſſionem reperiantur. perbelle ſimillimum quid indicaſſe viſus eſt Paul. cap. 40. lib. 6. quando ſcribebat, primo quoque die ſanguinem, vſu id exigente, demittes, ſola in ventriculo ciborum concoctione, aut etiam perfecta in iocinere ſanguinis elaboratione expectata. at ſi inter initia, ob cauſam aliquam, ſanguinis detractio prætermiſſa fuerit, vel vltra ſe-

ptimam

ptimam eum mittere alienum non eſt, ſi neceſſitas poſtulat, & vires non diſſuadeant, quibus ex omnibus illud decernendum eſt; omnium aptiſſimum tempus, quando nihil eſt, quod prohibeat, principium ſtatuendum eſſe ad ſanguinem detrahendum; non autem humorum expectandam concoctionem; & hac in re Auic. conſilium penitus deſerendum; quemadmodum multa, & erudita oratione memoriæ mandauit Fernel. lib. 2. meth. cap. 13. aduerſus quem, & ſi multa diſputet Augenius lib. 8. de ſang. miſſ. cap. 17. vbi Auic. ad bonam frugem redigere, operam dedit, declarando placitum illius accipiendum de cruditate humorum, vel etiam cibi, in ventriculo cõgeſti, cuius & ſi recte dictum ſit, expectandam eſſe concoctionem, non tamen eſt Auic. decretis conſonum, qui non eo in loco de alimentorum cruditate, verba fecit, à qua retardatur ſanguinis miſſio: ſed ijs verbis capitis eiuſdem. à minuitione præterea cauere debes ſuper cibi repletionem, ne materiam non maturam trahas loco eius, quod ab eo euacuaſti, & oportet etiam vt tibi caueas ab eo in repletione ſtomachi, & inteſtinorum facta ex fece iam conſecuta, & propinqua; imo in iam euacuando ſtude, &

illud

illud quidem quod est in stomacho, aut coram eo, vomitu, & quod in intestinis inferioribus, quo poteris, si non alio, saltem clystere. Quare dubitandum non est, quin Auic. senserit: humorum morbum facientium, expectandam esse cōcoctionem, in sanguinis missione; illa tamen distinctione adhibita, vt cum sanguinis plenitudinem euacuare curamus, hanc statim à principio tollendam, vbi cæterorum humorum concoctionem expectandam esse; hoc manifeste depræhenditur ex illo, in hunc modum scribente, fen. prim. 4. tex. 2. cap. 7. scias quod phlebotomia, quando est intentio sanguinis, non est de genere eius, in quo expectatur digestio, expectatione quæ est in solutiuis, & non expectatur digestio, nisi in humoribus alijs. Exemplum capiamus à quartana, in qua, idē auctor, cap. 59. tract. citati, & à principio, & iam morbifica causa concocta, sanguinem mittendum decernit, à principio quidem cum sanguinis adest prædominium, cuius plenitudinem vena secta tollendam hortatur. In prædominio vero ceterorum humorum febrē efficientium, morbifica causa iam concocta; venam secandam iubet. quæ omnia ea de causa subieci, vt pateat, Auic. consilium minime

nime assecutum Augenium, & ideo iustis de causis reprehendi eundem Auic. asserentem, humorum concoctionem expectandam, in sanguinis missione.

p. 12. *Num.* 34. At contendit aduersarius, verbo mouere; simpliciter prolato, significari quamlibet purgationem, deorsum factam: ex qua conclusione, nostra, vel potius Hippoc. infringitur sententia; quà decernitur verbo mouere, sanguinis etiam detractionem comprehendi. & suum in patrocinium fert aduersarius Arist. qui lib. 3. polit. cap. 2. (seu verius vndecimo) in ea significatione vsus est verbo mouere, vt exprimeret quamlibet purgationem deorsum factam. eius oratio hæc est; in Aegypto post tertiam diem mouere licet medicis: quod si prius, periculo id agunt suo. quæ quidem lex impia fuisset, subiecit, ille si venæ sectionem, vomitiones, iniectiones per clysterem, & omnia alia medica præsidia, sub verbo mouere, comprehendi voluisset, ita vt nihil eorum ante quartum diem, vsurpare licuisset medicis. quæcunque fuerit Aegyptiorũ lex certa res est. omnia eos substulisse præsidia ante quartum diem, & hoc sibi voluisse Arist. quando protulit; in Aegypto post tertiam diem mouere licet medicis,

-dicis, quod si prius, periculo id agunt suo. Fert suffragium Mercurialis, qui in suis commentarijs ad text. 38. & 43. lib. 4. acut. & in suis ad libros eosdem adnotationibus num. 36. illud retulisse Arist. memorat, vt apud Aegyptios quicquam agere, seu mouere ante quartam diem, vetitum esset: & clariora sunt verba eiusdem lib. 5. prælectionum Patauinarum cap. 4. cum de temporibus febrium disputatur, scribentis. Secundo modo sumitur principium pro tribus primis diebus morbi, quibus Aegyptij prohibebant, ne medici in his tribus diebus quicquam agerent, vt dicit Arist. 3. polit. ideo vero si quid agebant medici in his diebus, suo periculo agebant. hanc legem imitati sunt illi medici, qui sectãtes Thessalum à Gal. frequenter Diatriarij vocantur. Sic ille. Igitur si apud Aegyptios prohibitum erat, ne medici ante diem quartam quicquam agerent, solam purgationem minime respuebant, sed cætera præsidia omnia. Ex quo compertum fit refragari aduersario, non opem afferre Arist. locum in quo verbo mouere, omne præsidium complectitur; non inquam ventris inferioris euacuationem solam. Verum ex illa Aegyptiorum lege duo colligo: quorum est primum, eo quod

licebat medicis mouere, die tertia iam transacta, cumque morbi nonnunquam tertia euoluta die, principium non effugerint, ex eo quod licuisset post diem tertiam mouere, deprehenditur, in ipso etiam morbi principio Aegyptijs medicis mouere licuisse: & ex consequenti purganti medicamento vti. Alterum quod colligo est, Aegyptijs medicis non omnino vetitum, ante diem quartam mouere: sed cautum duntaxat eorum periculo id factum, hoc est, si detrimentum aliquod contingeret, adscriberetur medico. posse medicum antequam tertia elabatur dies, omni procul detrimento mouere (recta tamen methodo seruata) demonstrare non vtar multis, adeo, vt quamuis medici periculo ageretur, dum ante diem quartam moueret, potuit tamen suo id periculo facere: quoniam tuto id efficit, eo quod tunc temporis mitiora omnia sunt sympthomata, viribus ægrotantis fidimus, & quod magis est, si eo tempore aliquod committitur erratũ, facilius substinetur, quẽadmodum Hippoc. testatus est. 2. acut. 40.

Num. 35. His igitur de causis visum est, minime de humoribus locutum Hippoc. cum perhibuit, concocta medicare, & moue non cruda, neque in principijs: sed de morbis ipsis

ipſis, quos tum concoctos ſeu maturos, tum crudos non rarò appellat Hippoc. vt videre eſt 2. acut. tex. 40. 42. & 44. vbi morbum concoctum, vel non concoctum appellat, & his ſimilia protulit 2. prog. tex. 30. ſic ſcribens, cum vrina fuerit ſubfulua, & tenuis, morbum non concoctum ſignificat: vti vice verſa 4. acut. tex. 22. & lib. de veratri vſu affectionem crudam appellat. quibus vocibus vſus eſt Hipp. vt morbum benignum, vel mitem exprimeret, cõcoctum, ſeu maturũ dixit. quod expreſſit Heurnius qui vocẽ πέπειρον, & Marſilius ex 2. de dieta probat eſſe eamdem cum πέπον, quam alij interpretes vertunt concoctum, ſeu maturum, ipſe tranſtulit mitificatum, vt inſinuaret, perinde eſſe apud Hippoc. morbum concoctum, ſeu maturum appellare, ac mitificatum; vti verſa vice, vbi crudum morbum dixit, contumacem, & curationi rebellem deſignare voluit. Maxime contrarij quippe inter ſe ſunt, morbi concocti, & crudi, & proinde poſtremos neque mouendos, neque medicandos decreuerit: ſiquidem qui morbi excuti nequeunt, prognoſticis ſunt relinquendi ne ledat, vel illum ſilentem irritet medicus; & è conuerſo concoctos, hoc eſt benignos, & ſalutares morbos, medicandos, &

mouendos esse sanciuit. hac tamen adhibita distinctione, vt quemadmodum crudos, neque in principijs mouendos esse voluit: ita concoctos, adeo curationi expositos, vt in omnibus temporibus medico liceat illos mouere, ita vt generale præceptum illud, incipientibus morbis si quid tibi videtur mouendum, moue, quando vigent, & permanent melius est quiescere: vti in crudis morbis locum non sortitur, eo quod illos neque in principijs mouere oporteat, nisi turgeat: ita in maturis paruifaciendum videatur, eo quod nulla temporum distinctione adhibita, illos mouere deceat. Sunt inter hos alij morbi medij, quos neque crudos, neque coctos appellare decet, mediam quandam naturam seruantes, cuiusmodi sunt exempli gratia, omnes acuti (pessimis tamen signis non copulati) quorum non omnino certæ sunt prædictiones, & salus omnino dubia est. Hi ergo morbi, qui nec ex toto crudi, neque concocti sunt, penes tempora cōcocti, & crudi dici merentur: in principio nimirum, & fine concocti, eo quod illis in temporibus omnia mitiora sunt, in augmēto vero, & statu crudi, siquidem tunc temporis omnia fortiora sunt, & contumaciora sympthomata. quam ob causam

sam in principio, & fine mouere decet: vbi vigent, & permanent, satius est quiescere.

Num. 36. Verum operam dedit aduersarius, omnes propositas conclusiones euertere, ac insinuare, melius dictum, morbos, qui concocti sunt omni tempore, ac salutares, minime curandos esse. ad quid enim, inquit ille, in his medicamenta perdimus, naturam oneramus, & ægros medicina affligimus, cum à morbo sponte liberentur? contra (ita adiecit ille) cum crudi difficiles, & omnino contumaces, quia assidue ægrotantes affligunt, medici auxilium exposcunt, qui si eos superare non potest, saltem eorum sympthomata corrigere, dolores lenire, ægrumque hinc, & inde vexatum subleuare ex parte valet: & ideo de his potius dicendum erat medicare cruda, quæ de illis medicari concocta. Voluit dicere. Aequiori dictum ratione, cruda hoc est contumaces morbos, & curationi rebelles, medicari, & mouere concocta hoc est salutares benigniorésque morbos, neque medicari, nec mouere, eo quod necessario postremi terminantur ad salutem: priores, medici auxilium exposcunt. Nec vt reijciatur dissertatio, illa dilui debet quæstio, an salutares morbi curandi sint: quique deplorati, neque p. 25.

remedijs excuti queunt prognosticis deserendi planè cum nullus medicorum sit, qui salutarium morborum curationem deserat persuasum habeo, id nequaquam temere factum, & inconsultò: sed quia ita poscit medendi ratio, vt salutarium quoque morborum ineunda sit curatio. Quare iure merito medicum, libro priore de morbis, admonuit Hippoc. vt animaduertat, an facilitas futura sit, in curando, an vero difficultas. quæ admonitio, non tãtum dirigitur ad prognosim, sed etiam ad recte curandum: scilicet vt difficiliori morbo, validiora præsidia adhibeat, mitiori vero, & salutari, leuia. quo ex theoremate depræhenditur, salutarium morborum, minime negligendam curationem. Exemplum capiamus à tertiana, & ephimera febre, quæ etsi salutares sint, nihilominus illarum curationem medici, nullo pacto contemnunt: sed (quod mirum forte videri debet) ad satietatem vsque, de illis verba faciunt. quinimo adeo necesse est prædictarum febrium curationem agere, non tantum ob metum, ne in grauiores transitum faciant, verum etiam ne illarum neglecta, vel etiam malè tractata curatione (quod locum habet in putrescentibus febribus) curatu difficillime, vel etiam

insa-

insanabiles reddantur. quod de tertiana febre satis apposite lib. 12. c. 6. Alex. protulit.

Num. 37. Deploratos, è contrario, ac morbis fatigatos, quorum nulla salutis spes est, prognosticis relinquendos, aperte insinuauit Hippoc. libro de arte, apud quem scriptum reperitur, medicinæ esse, morbos ab ægrotis in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere, & eorum, qui à morbis victi sunt, curationem non aggredi, cum in confesso sit, tales medicina sanari non posse fauet aduersarij s. explanatio, qui eo in loco, illud vetuisse Hippoc. memorat, ne medicus morbo victum curandum, & sanandum suscipiat. quæ viri assertio, licet erudita, & subtilis, nostræ astipulatur conclusioni, quæ illud continet, morbum crudum, hoc est curationi rebellem, & contumacem, curandum non oportere suscipi. Sed exempla ex ipso desumamus Hippoc. qui 2. in primum pror. tex. 37. nigra, dixit, remouentes, cibos fastidientes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus fœrox, claususque, medicari non oportet: perniciosum enim, & 6. aphor. 38. cancros ocultos non curabis, curati enim cito pereunt, non curati vero diutius viuunt. In cancro quippe duplex inest venenum, cor-

rosiuum alterum, alterum putrefactiuum. sique huic causticis opem afferre tentat medicus, priori abest: sique pus mouere dat operam, adeo in insignem degeneraret putredinem, vt vicinas partes omnes putredine contaminaret. Hinc manifeste decernitur, cancros occultos non esse curandos, vt ab illo deprehensus diutius viuat.

Num. 38. Vesicæ calculus non longe abest, quin in crudarum affectionum numero, reponi posit. hic enim cum grandior factus est, nullam curationem suscipit. non enim potione, aut medicamento frangitur, aut circumteritur: neque præter noxam exciditur; quemadmodum Aret. testatus est lib. 2. tard. pass. cap. 4. hæc enim duo excogitarunt medici præsidia, ad vesicæ lapidem curandum: medicamentis scilicet illum confringere, & sectione educere: quorum postremum temerarium, primum inane est, & temerarium; temeraria omnis medicina, inquit Dur. lib. 2. coac. cap. 22. tex. 5. & pesima, & sæpe mortifera, quæ frangendo vesicæ calculo adhibetur: cui profuerit vidi adhuc neminem: permultos autem quibus exitio illa fuit. Theosorbi insuper pueri comprobatur exemplo. 5. epid. quem, temeraria medicina isthæc peremit.

mit. Fert suffragium Trinc. lib. 10. de ratione cur. par. humani corp. affectus cap. 9. vbi se neminem medicamentorum ope, frangentium lapidem, memorat obseruasse curatum: quin potius multos; quibus exitio fuit. Gal. ergo lib. art. med. cap. 94. & 6. epid. comm. 5. tex. 26. integræ sanitatis causam, extractionem solam, & incisionem commemorauit. ratus medicamentis, quibus donatur vis frangendi lapidem, nullo pacto fidendum. Sed hoc quoque vti præsidio, non euitare est periculum, sed commutare. adeo vt in ipso opere ægrotantes periisse, vissum sit. Quare eius curationis sectator Celsus lib. 7. cap. 26. & temerariam, & periculi plenam fateri, coactus est, & illam non tentandam nisi ab anno nono ad 14. Vnde non inconsulto, iure iurando pollicitus est Hippoc. calculo laborantes, se non secturum: sed chirurgicis viris daturum rei faciendæ, locum. vel eam ob causam, quam indicauit Auenzo. cap. primo tex. 6. lib. 2. quoniam illud opus abominabile, & miserabile est; & proinde neque probatum virum decet; operi faciendo adesse. Longum esset omnes recensere morbos, quibus medicinæ locus non est. (nisi forte fuerint temeraria curatione adiuti, quæ etiam nonnullis

arrisit

arrisit medendi ratio) eosdemque inter crudos reponendos, de quibus est proditum. quæ crudæ sunt affectiones, neque in principijs medicare, vel mouere oportet.

p. 26. *Num.* 39. Nec mouent aduersarij rationes, dicentis. quomodo cruda medicanda non sunt, si Hippoc. læthalium curationem non docuit modo, sed suscepit etiam? & primo exemplo vtitur, petito ex lib. 7. Epid. quo in loco quendam à cancro in ore vexatum, sanauit, Hippoc. oratio hæc est, cui carcinoma in faucibus exustum est, à nobis sanus euasit. Card. locũ hunc examinans 6. aphor. 36. existimauit, dictum Hippoc. accipiendum, de cacoëtis vlceribus, quæ carcinomatibus similia sunt. Hæc responsio nisi arrideat, notare expedit, non omnis cancri curationem substulisse Hippoc. sed occulti dumtaxat, quando perhibuit, cancros occultos non curabis: reliquit ergo locum curationi, in ijs, qui occulti non sunt; itaque cum pronunciauerit cancros occultos non curandos esse, & nihilominus curationem suscepit, 7. Epid. decernendum est, ne Hippocrati Hippocratem contrarium faciamus, cancrum non occultnm curandum suscepisse. at dices faucium cancrum curauit, ergo occultum

rursus

rursus notare est, ex Aetio lib. 16. cap. 43. & Gal. etiam indicauit, cancrum occultum appellari, qui sine vlcere est, & talem minime fuisse, quem curauit Hippoc. vel etiam addendum est. occultum dici qui in profundo corporis positus est: non tantùm vteri, & intestinorũ, vti Philoxenus existimauit apud Aetium: sed cęterarum partium internarum, adeo vt nec se præbeat conspiciendus, neque etiam remedia, quæ continuo adhæreant, apponi possint. faucium cancer se dat conspiciendum, illiq. remedia apponi queunt, cum illum aliquando exustum, recenseat Hippoc. hunc curauit. non ergo occultum. ore enim abditæ partes, externæ dici possunt, vti exemplo linguæ 34. prob. 6. indicauit Arist. p. 26.

Num. 40. Calliomedontis pueri, rursus exemplum addit, aduersarius, ex lib. 5. epid. cui cum tuberculum haberet in collo durum, magnum, & crudum, ac dolorosum, cruditate non obstante, medelam adhibuit. quamobrem venæ sectionem, & cataphasma ex lini semine alijsque rebus confectum contulisse testatus est Hippoc. plane si quis est, cui persuasum sit, remedia mox recensita, sola contulisse Calliomedonti (notanter dictum est, contulisse, ne quis existimet illum sanatum)

tum) longè lateque ab Hippoc. ſententia aberrat, qui iuuamen fert. acceptum ab abſceſſu, in bracchio exorto. apud illum hæc leguntur. Calliomedontis puero contulit ad tuberculum, quod habebat in collo durum, magnum, & crudum, ac doloroſum, abſceſſus in bracchio ortus, & lini torrefacti cataplaſma imponere, ſubactum vino albo, & aleo imbutum, adeo vt deligatur, neque calidum, neque valde coctum, & quæ ſequuntur. ex hac oratione compertum ſit, abſceſſum exortum in bracchio, fuiſſe, qui primo & præcipue opem tulit Calliomedonti. arguebat enim materiæ tranſmutationem ad bracchium; quæ, cum aduenit, colli tuberculis maximum iuuamen affert. Vnde eſt vt remedia, quem inſuper appoſuit Hippoc. quibus vis inerat emolliendi, & diſcutinendi ſegnem excretionem addiuuarent, non ipſa ſola opem tulerint. Ex quo decernitur, artificium Hippoc. & remedia naturam excretricem adiuuaſſe, quæ vti morbos etiam deploratos ſanare poteſt, ita ope illius deſtitutus medicus omnia in hiſce morbis in caſſum tentat præſidia. ergo vti decuit Hippoc. commemorata Calliomedonti afferre præſidia, vt naturam excretricem adiuuaret, pari rationem excrementi

naturæ

naturæ debetur iuuamen, quæ nisi opem tulisset in transmutatione materiæ, æquum fuisset etiam ab omnibus pręsidijs abstinuisse. Ipsa venæ sectio, quid potuerit opis afferre Calliomedonti, examinare præterea, eo quod Merc. in suis notis ad lib. 5. epid. num. 10. à Caluo. & Cornario adiectam memoret, & nullus codex manuscriptus, aut græcus vulgatus, illam recenseat. p. 26.

Num. 41. Postrema in hunc modum formatur ratio. vteri erysipelas casus omninò læthalis constituitur, in vtero gerente, 5. aphor. 43. quem, qua ratione tractandus sit lib. de natura muliebri indicauit Hippoc. ex quo deprehenditur, eo quod læthalium morborum curationẽ suscepit, & indicauit, inepte dictum, morbos crudos, hoc est, curationi rebelles, neque medicare, neque moue~~. Exigit argumenti enodatio illud priore loco inquirere, an quando vtero gerens erysepelas patitur in vtero, morbus omnino læthalis sit, adeo vt, cum ab eo perculsa deprehenditur, inter defunctas conscribenda sit: an vero aliqua supersit interdum salutis spes. est quippe proditum ab Hippoc. si mulieri grauidæ in vtero fiat erysipelas læthale. quæ admonitio alicui superflua videri posset, cum

vniuer-

vniuersæ ab eodem sancitum sit, vtero gerentem capi aliquo acuto morbo, læthale. inter quas, quia locum habet vteri erysipelas, superflue videtur additum, si mulieri grauidæ in vtero fiat erysipelas, læthale. Sed consulto hoc factum ab Hippoc. ipse censeo. nam quamuis acuti morbi perniciem adiuntã habeant, & læthi diem afferre queant, nihilominus quando ijdem vtero gerentem deprehendunt, mortis periculum adaugent. Etenim, quæ potuisset mulier acutum morbum descutere, quando in ventre non habet, vtero gerens in grauiori versatur vitæ discrimine. ab eodem morbo acuto fatigata, & proinde æquo iure monendus erat medicus, prægnantem capi aliquo acuto morbo læthale esse, vt ex eo intelligeret, in maiori vitæ discrimine vtero gerentem versari, dum acuto morbo laborat. rursus, etsi certa res sit, vtero gerentis ab acuto morbo fatigatæ, in angusto positam salutis spem, nihilosecius par erat, illud non ignorasse medicum, grauiori multo exerceri morbo, dum vteri erysipelas patitur. Quamobrem, etsi erysipelas vteri inter acutos morbos conscribitur, qui in vtero gerenti admodum perniciosi sunt, nihilominns ad exprimendum omnium maiorem,

rem, hunc morbum esse, æquo iure factum est, vt peculiari theoremate sanciretur, si mulieri grauidæ in vtero fiat erysipelas, læthale. Sed quo consilio disertatio isthæc? vt certiores simus, inter hos morbos ordinem esse, maioris, & minoris magnitudinis, & acutiei; quamuis de omnibus sit proditum, esse læthales, & ex his vteri erysipelas in prægnante, multo grauiorem: non tamen ex toto ineuitabilem, & funestum. de cæteris differere, acutis affectionibus longum foret. Vteri erysipelas non ex toto funestum morbũ ex Vgonis Senen. & Iacobi Forli. interpretatione aphorismi 43. sect. 5. aperte colligitur. Enim vero quærentes hi, an huiusmodi erysipelas matri, an potius fœtui læthalis magis sit; decernunt, ambobus læthalem, fœtui magis, quæ dubij profligatio nobis argumento est, posse nonnunquam sanari vtero gerentem, dum in vtero patitur erysipelas, eoquod morbus hic magis perniciosus est fœtui, quam matri. & clarius indicarunt ijdem auctores, dum interpretati sunt aphorismum locum habere, in erysipelate interno, & à multa materia orto. Quare si contingat vel extremum esse, vel à modica materia procreari, minime perpetuum est, affectionem illam asse adeo lætha-

læthalem. Exemplo hoc comprobat Heurnius in explanatione citati aphorismi, duas recensendo historias mulierum, quas prægnantes, vteri erysipleas inuasit: quarum altera vita defuncta est, altera morbo. Itaque etsi Hippoc. tum alibi, tum vero libro de natura mulieb. læthalem esse morbum dixerit, dum prægnanti fit erysipelas in vtero, istud accipiendum est, vt frequentissime cõtingat; Quamobrem quia nonnunquam aliqua superest salutis spes, ideo recte factum est ab Hippoc. dum modum recensuit, quo vtero gerentes ab erysipelate vteri fatigatæ, tractandæ sunt. fert suffragium Card. comment. aphor. 43. sect. 5. in hunc modum scribens, per ea verba etsi quidem in ventre habeat, cibis, ac potibus vtatur, & quæ sequuntur, declarat, & si rarò, tamen aliquas euadere posse. astipulatur aduersarius, quando dictabat, nullus morbus est adeo ferus, & læthalis, quin aliquis ex eo euaserit; (quæ assertio & si locum habeat in vteri erysipelate, falsa tamen est in morbis quam multis) Ceterum quia eorum, quos euasuros spes est, ineunda est curatio, neque morbi crudi sunt, sed dubij; hinc est, vt vtero gerentium erysipleas curandus sit, cum de illo salutis spem suscepit medicus.

p. 26. initio.

cus. atque hæc de crudis morbis dixiſſe, ſit ſatis.

Num. 42. Quãuis ergo decreuerit Hipp. crudas affectiones, neque medicandas, neque mouendas, theorema tamen iſtud locum non ſortiri, ſubiecit, cum turget. quæ vocis acceptio, quamuis ad humores referatur, quos turgere, pronunciatum eſt, attamen Marſil. non ſolum hoc aphoriſmo, verum etiam lib. priore de tuen. val. cap. 36. longe aliter eam interpretatus eſt; dum voluit de Græcorum ſententia turgere nihil aliud eſſe, quam tumere, ſeu concitari ad emittendum aliquid: & hoc ipſum ad corpus, vel partes illius ſpectare, non ad humores. hæc opinio non tantum Marſilio arriſit, verum etiam eandem ſequuti ſunt, viri clariſſimi, Ludou. Merc. de indic. preſ. lib. primo cap. 6. & Gabriel Fallop. lib. de med. purg. cap. 16. quibus in locis, diſerta ſatis oratione decernunt, & appoſite, turgere nihil aliud eſſe, quam quando corporis pars deſiderio feruet, ſeu appetit quod moleſtum eſt expellere. Id vero antea docuorat Ariſtot. 2. de generat. animal. cap. 4. vbi locum turgere ait: Vnde cum Hippoc. cruda voluit, nec medicanda, neque mouenda, niſi turgeat, perinde eſt, ac ſi

dixisset, in morbis crudis nec medicatione, neque alia medica motione opus esse, nisi corpus appetat, seu concitetur ad expulsionem, idque non solum proprium purgationis, verum etiam euacuationum quoque cæterarum.

Num. 43. Est illud vnum silentio haud inuoluendum, cum turget non semper euacuatione opus esse. desumitur ratio ex aphorismo 24. sect. primæ in quo habetur, in morbis acutis, raro vsu venire, purgantia medicamenta, hoc est, dum turget: vel Gal. ad eum locũ interprete, qua sola animaduersione, minime fuit contentus Hipp. nisi subiecisset, hoc cum pręmeditatione faciendum est, equidem præmeditatione opus, quoniam, & si turgeat, nihilominus peculiari aliqua de causa, medicamentis purgantibus parcit medicus in morbis acutis. Clarior eiusdem Hippoc. sententia est, 4. aphor. primo. in quo sancitur, vtero gerentes medicari oportet à quarto vsque ad septimum si turgeat; sed has minus: vereri autem oportet iuniores, & seniores. cum turget, ergò medicari oportet vtero gerentes: sed à quarto vsque ad septimum mensem. quamobrem à primo mense vsque ad quartum, & à septimo vsquequo pariat,

tam etsi

tam etsi turgeat, nihilominus à purgatione abstinendum est: obseruandum est etiam, ætatis ratione nonnunquam, vt à quarto mense vsque ad septimum, & si turgeat purgandum non sit. quod significauit Hippoc. ijs verbis, vereri oportet iuniores, & seniores. indicauit etiam Gal. lib. quos & quando, non semper cum turget, opus esse pharmaco. hic enim cum declarauit, circa initia acutarum ægritudinum, pharmaco opus esse, cum turget, magna animaduersione id faciendum subiecit: quoniam non exiguum impendet periculum, ne sinistre purgatio succedat. vt ergo vtilitas consequatur, hæc, inquit ille, ante omnia considerare oportet, idoneus ne sit ad eiusmodi purgationem, qui morbo laborat. Etenim qui sæpe cruditate laborarint, & qui tenacibus, & crassis vesci consueuerint, quique sub costis inflatum, & tensum ventrẽ habent, vel eximie calidum, atque feruentem, aut in his locis inflammationes sentiunt, omnes ad purgationes sunt inepti. sic ille quæ illuc dirigitur admonitio, vt liqueat medico, cum turget, non semper opus esse, pharmacum dare. quæ eadem ratio, locum habet, in cæteris euacuationibus. namque exẽpli gratia, si turgeant hæmorroides, à quorum tur-

gescentia cõsilium capiat medicus effundendi sanguinem, viribusque non fidat, consultò abstinet à missione sanguinis.

Num. 44. Et licet locum reliquerit medico, quo in affectionibus crudis medicari decet, & mouere, idque agendum, dum turget; admonuit tamen Hippoc. id rarò agendum, eo quod rarò turgeat. quæ turgescentiæ raritas, ad crudos morbos referenda est, in quibus rarò turgere dictum, accipiendum est, eo quod ijs in morbis victi à morbis ægrotantes cum sint, rarò natura extimulatur ad expulsionem, à qua doctus medicus, illi opem afferendo, & ad excernendum naturæ conatum adiuuando, iuuamen afferre quæat.

Num. 45. Didicisse de morbis hoc aphorismo locutum Hippocratem, redegit in mentem an probabilis sit coniectura, vt fortè fortuna diuturnitate temporis amissa sit, & corrosa clausula, seu verius nomen νοσήματα, & legendum τὰ νοσήματα πέπονα φαρμακεύειν, hoc est, morbos maturos medicare. quæ sanè lectio, vti sensum clariorem reddit, ita illam non aspernendam fore suadet. aduersus quam etsi exclamatum nouerimus mures verborum, Hippoc. truncatores extitisse. quod à nemine excogitatum fuit, sed proditum

dumta-

dumtaxat, illam passos iniuriam Hippoc. libros, vt diuturnitate temporis, & antiquitate non præter veri fidem fuerit corrosum verbum illud, νοσήματα planè hanc iniuriam passos Hippoc. libros videre est apud Mercur. in sua operum Hippoc. censura, vbi se vehementer suspicari fatetur, ne illud acciderit Hipp. libris, quod de libris Arist. testatur Strabo, & Plin. vt diu sepulti iacuerint, & mox corrosi, & deprauati sint inuenti: vnde est: vt non longe absit à veritate coniectura, quæ sit nonnunquam, amissa, vel immutata verba in illius scriptis: & id ipsum contigisse aphorismo, de quo agitur. Et, quamuis occurrat aduersarius ijsdem verbis legi aphorismum lib. de humoribus. Occurrenti aduersario obuiam iri potest, eo tantum in libro theorema istud quod alibi oraculum appellauit Gal. conscriptum. Siquidem præfatus Gal. illo, in libro reperiri conscriptum memoriæ mandauit: ex aphorismorum, exemplaria quædam illo carere. adeo vt conici possit, non ab Hippoc. sed ab aliquo interpretatum inter aphorismos repositum. Coniecturam adauget Orib. qui aphorismum vicesimum primum, & vigesimum tertium vnicum efficit; vicesimo secundo, & de quo agitur penitus omisso. Ex quo

facile

facile coniectura assequi possumus, hanc sententiam inter aphorismos minime locatam ab Hippoc. sed tantummodo in libro de humoribus, & ibidem deperditam particulam νοσήματα. vel, etiam concesso, in ambobus libris aphorismum repositum, nihilominus hęc non valeat assertio lib.de humoribus, hac serie aphorismus conscribitur πεπονα, &c. Ergo ijsdem verbis necessario erat conscribēdus inter aphorismos. quandoquidem multa est afferre testimonia aphorismorum, qui aliter leguntur in reliquis Hippoc. libris, quam sint inter aphorismos conscripti 4. aphor. 59. tertiana exquisita perhibetur. septem circuitibus, quod longissimum est, iudicatur. aliter hic idem aphorismus scribitur lib. de iudicationibus, cum dicitur. Tertiana in septem circuitibus plerumque iudicatur. & longe aliter in hunc modum notatus reperitur lib. coac. Tertiana exquisita in quinque, aut septem circuitibus, aut ad summum nouem iudicatur. Longum esset aphorismos omnes examinare ad intelligendum, sæpe sæpius distare plurimum theoremata cæterorum librorum ab aphorismorum sentētijs:sed hoc apertum facit illud nouisse Hippocratem eum morem seruasse. vti Heur. testatus est in suo ad libros

libros aphor. argumento. & ante illum Cagnatus lib. 2. var. obs. cap. 7. vt multa in alijs libris conscripserit memoriæ causa, alia vt melius pensitaret in posterum, & mature excogitaret: eo præsertim consilio, vt aphorismos conflaret. quas seligendo sententias nunc illis ademit, aliàs adiecit, aliàs easdem castigauit, adeò vt aphorismorum lectio sæpissime non respondeat theorematibus alibi notatis. Ex quo compertum fit, fallacem esse coniecturam; vt ita legendæ sint aphorismorum sententiæ, vt in alijs libris notatæ iacent: cum hæc plerumque fallat. Quamobrem nulla est quæ cogat necessitas profiteri aphorismum, de quo agitur, ijsdem verbis legendum; quibus conflatur lib. de humoribus. Vnde, vt potuit ibidem conscribi absque illa voce, νοσήματα sic potuit inter aphorismos conscribi addita voce, τὰ νοσήματα; & particula hæc temporis diuturnitate deperdi potuit. Verum hæc mathematica non est demónstratio: sed coniectura, & latentis rei iudicium: quod æqui bonique consulendum est; non autem irridendum. quia illa coniectura facta est in commentationem, & declarationem maiorem, sententiæ Hippoc. à multis non benè præceptæ, & episodium, coniectura.

ctura. probabile, minus probabile, & alia sexcenta sunt termini Logici, & Rectorici tractati à multis, & præcipuè ab Aristotele octo libris Topicorum non irridenda, sed ad miranda, non existimantur, quia non leguntur. Hic esto finis. & soli Deo sit honor, & gloria.

FINIS.

